UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani[i] Amor Divinvs

Scribanius, Carolus

Mogvntiæ, 1616

urn:nbn:de:hbz:466:1-46242

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2707.
f. III
t4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAROLI SCRIBANI
E SOCIETATE IESV

AMOR DIVINVS

Liber Domus Probationis
Societ: Jesv.

MOGVNTIÆ
Apud Joannem Albinum.
1616

AMORI.

NAm cui alteri amorem quàm amori, diuino diuinum? & nõ peccem in cęlum terramque qui extra Amorem quæram amorem? à quo vbera nisi à matre? & non omnis amor ab Amore magno tamquam à matris vtero & vbere fluxit? tibi ergo, Amor meus, a-

moris mei diuæ genitrici me meaq; debeo, voueo. Tibi amica hæc ſuſpiria anhelo trahuntur pectore. tibi fluunt, tibi bibuntur amoris lacrymæ. Procul hinc pocula, à quocumq; autumno aut manu propinata. Fellea mihi ſunt quæ non veniunt ab Amoris diui pocillatoris mei dextera. Ab amati fonte currite lacrymę: felicíque circumuolutione æterno fluxu hauſtúque fundantur bibantúrque lacrymæ. Tibi has Amor meus

meus ſacro, quæ à locu-
plete vena tua fluxerunt
tibi. Tibi quidquid hic
ſudorum copioſo ſtillici-
dio cadit. Quidquid ſan-
guinis dextera tua vulne-
ribúſque manat meis. Ti-
bi hæc ſudorum, lachry-
marum, ſanguinis, amica
natant balnea. Aſpergere
Amor meus, lauare. Ni-
mis fors frigent exſudata
balnea? habes elacryma-
ta. Nimis hæc tepent? ha-
bes à ſanguine calentia.
Nimis hæc æſtuant? miſ-
ce hos algentes, tepentes,

æstuantes fontes, & habebis qualia ab amante amica sperare possis & debeas, balnea diuis manibus tuis alumnata, & ad tubas tympanáq; tua lætabunda. Tibi hic etiam amoris tenduntur retia, & quidquid de venatione primum vltimúmq;, sacrum esto. Nemo hæc profanus tangat. Tibi hic calcantur torcularia musto suo grauida. Bibamus & inebriemur Amor meus. Diua ebrietas, optanda temulentia, felix eructatio.

ctatio. Tibi calent inæstuantes melioribus ignibus foci. Tibi feliciore candẽt fornaces flamma. Tibi fortunatioribus gemunt mensæ ferculis lassatæ. Tibi medica miscentur pocula cælo reponenda. Tibi fumant aræ thuráque, & odoratus perpluit imber. Tibi demum hæc anima immoritur, viuit tibi, quin & post funera viuet tibi. Tibi ergo amicum hunc rorem, non vna de-

ſudatum aurora, æternùm, vt debeo, ſacro dicóque. Fruere æternùm amor meus. Tantùm cõcede vt & ego æternùm diuinis tuis fruar nexibus. Ne contemne; dona tua ſunt, à cæleſti aurora tua derorata. Ne ſperne; à diuina nube tua omnis hic cadit imber, à rupe tua ſaliunt hi fontes, à fonte tuo fluunt hi torrentes fluminaq;, mariáque ab his nata tua ſunt. Fruere Amor meus munificentiſſimæ dexteræ

tuæ

tuæ æternaturis donis. Quæ æterno tibi sacramento, æternùm dico, voueóq; æternùm.

SYLLABVS CAPITVM

Partis primæ.

CAPVT I.

Amoris vis magna. 1.

CAP. II.

Votum Christo nascituro. 13.

CAP. III.

Ad Annunciationem Dei Matris. 27.

CAP. IV.

Ad Visitationem Dei Matris. 43.

CAP. V.

Christo nato. 52.

CAP. VI.

Votum in cunis. 66.

CAP.

CAP. VII.

Votum Christo dormienti. 90.

CAP. VIII.

Ad pastores Angelo doctos. 102.

CAP. IX.

Ad Circumcisionem Domini. 109.

CAP. X.

Ad stellam Magorum ducem. 130.

CAP. XI.

Ad Maiorum adorationem. 141.

CAP. XII.

Ad fugam in Ægyptum. 136.

CAP. XIII.

Ad infantes Herodis imperio cæsos. 166.

Partis secundæ.

CAP. I.

Amoris lacrymæ. 180.

CAP.

CAP. II.

Christo in horto sanguinem & aquam sudanti. 195.

CAP. III.

Christo columnæ alligato, flagris concisso. 210.

CAP. IV.

Votum è spinis Christi vertici implexis. 226.

CAP. V.

Ad Pilati verba, ECCE HOMO, Christum designantia. 246.

CAP. VI.

Christo sub cruce fatiscenti. 264.

CAP. VII.

Vestium in Christo spoliatio. 276.

CAP. VIII.

Claui quibus affixus Christus cruci. 291.

CAP. IX.

Votum cruci Saluatoris nostri. 298.

CAP.

CAP. X.

Christo in cruce morienti. 306.

CAP. XI.

Ad vulnus lateris Christi. 315.

CAP. XII.

Votum vulneribus Christi. 325.

CAP. XIII.

Votum patiendi cum dilecto. 334.

CAP. XIV.

Christi & peccatoris disparitas amoris vinculo sociata. 340.

Partis tertiæ.

CAP. I.

In Resurrectionem Domini. 351.

CAP. II.

Ad apparitionem Christi, Virgini matri factam. 368.

CAP. III.

Ad apparitionem Magdalenæ factam. 376.

CAP.

CAP. IV.

Ad apparitionem factam discipulis euntibus in Emaus. 398.

CAP. V.

Ad apparitionem Apostolis factam. 407.

CAP. VI.

Ad apparitionem Thomæ factam. 424.

CAP. VII.

Ad apparitionem Petro & Iohanni aliisque piscantibus factam. 439.

CAP. VIII.

Ad illa Domini verba, *Simon Iohannis amas me?* 458.

CAP. IX.

Ad ascensionem Domini in cælos. 473.

CAP. X.

In diem Pentecostes. 488.

Partis

Partis quartæ.

CAP. I.

Assimilatio Amoris prima. 361.

CAP. II.

Assimilatio Amoris secunda. 536.

CAP. III.

Assimilatio Amoris tertia. 532.

CAP. IV.

Assimilatio Amoris quarta. 537.

CAP. V.

Inuestigatio Amoris. 547.

CAP. VI.

Indagatio aberrantis animæ. 559.

CAP. VII.

Venatio amantis animæ. 565.

CAP. VIII.

Votum animæ amore sauciæ. 572.

CAP. IX.

Suspiria animæ amore languidę 586.

Eructa-

CAP. X.

Eructatio animæ amore ebriæ. 580.

CAP. XI.

Ablactatio amantis animæ. 586.

CAP. XII.

Colloquium amantis animæ primũ. 587.

CAP. XIII.

Colloquium amantis animæ secundum. 598.

Ludus in seculi amorem inimicum amori diuino. 601.

SVM-

AMORIS DIVINI PARS PRIMA

INFANTIAM CHRISTI complectens.

CAPVT I.

Amoris vis magna.

AMORIS vis magna, nec quidquam tam arduum quod non vincat Amor. sin negatum, antè immoritur, & in medio, vt ita dicam, morsu, vitam ponit, indignantemq; exspuit in amati sinu animam, quàm amata deserat. Quid, quòd locus illi per

vulnera potiri amato, risus non dico per sudorem, sed per sanguinem tamquam per flumina adnauigare amato, voluptate plenum animam ponere in amati sinu. Quid ergo a-amantem terreat, qui à difficultate animos sumit, adcoque ab ipsa morte, vulnere, sanguine accenditur in optata? ostende præcipitium, si in radice amatus steterit, & negata via alia, vno audaci saltu aut vitam finiet, aut amato potietur. Ostende irata maria, irasque, minasque suas bibentia, si in aduerso littore amatus steterit; etiam tabula, aut si non concessa, pallio scindet aut insternet elementum, quin & natatu amica petet littora. Inuoluitur fluctibus, integiturque totus factus pila mari? maior omni elemento est, supernatat intrepidus; & dum variè iactatur, conditurque tamquam sepulcro fluctibus, exultat totus, dum se sperat iactatione hac eiiciendum in amati littus

littus tot votis optatum. Minare ferrum; per medium illius aciem incurret in amicum pectus. Minare exercitum; vltrò inuolabit si ex aduerso amatus steterit, mediaq; inter amatum & amantem acies quacumque ferocia explicata sederit. Hastæ terrent? induet se spontaneus hastis, vt amato iungatur. Arma resonant minitabunda, scutaq; scutis impulsa latè terrorem iaculantur? alijs fortè, amato suauiludii sunt, & tamquam puerorum cymbala aut tympana, aut agitata vento folia. Obijcies ignes, nec aliam viam potiundi amato? per medios audax euolabit ignes. Ardebit? non sentiet. Maior quo intus ardet, ignis igne hunc restinguet.

Verbo complectar omnia. Ostende infernum, nec aliam viam qua pertingat ad amatum; transiliet interritus, cõtemnetq; huius flammas, vt pictas nebulas, vt tempestatem docto penicillo formatam, vt ignem

calamo expressum. Nihil miraberis, si cogites maiore intus ardere flamma, æstu iactari fluentiore, igne torreri calentiore. Qui vsque eò totum possedit hominem, vt alteri peregrino cuicumque igni nullus sit locus reliquus. Huic amanti & potenti rapto cælestium adore, si bellicum insonuerint tubæ & tympana, si horridùm puluereo concussu reboauerint tormenta, si terrifico mugitu interfæuiente quaquà fulmine, intonuerit cælum; aures demessas arbitrere, aut multis stadiorum millibus absenti illudere. Sin oculis monstra obieceris, & quidquid nubibus terrisque natum portentosum, aut omnium retrò ætatum prodigiosa obuenta, Hydras, Centauros, Charybdes, Scyllas, Sphinges, Thesæa, Cadmæa, Dedalæa, Pegasea, Herculea monstra, & quidquid mendacio facilis Græcia lusit, diurna nocturnaq; terrentia spectra, totumque Æneada

da sextum; credes cæcum natum: ita nihil videt extra vnum amatū, quasi ille oculos clauserit firmauerit́que denso spissamento tamquam calce.

Præbe odores, seu illos Felicis Arabiæ India q́ue delin fi os, seu quarumcumque terrarum tetros; nec illorum spirantem bonitatem, nec horum sentiet malignitatem. Ita nulla, non cinnamomi nemora, non myrrhea laureaq́ue pomeria, aut è quacumq; odoratiore fronde, hyacintho, rosa, viola vestita; non Augię stabula, quocumque vaporatitio halitu, suauian tetro, commouebit nares iam an è amati odoribus obsessas. Quibus illectus curriit in odorem vnguentorum dilecti sui ignarus odoramentorum aliorum. Præbe illi nardum, & odoratissima quæque thura ab vltimis terrarum aduecta, præbe quamcumque gratiam floris, quamcumq; lætitiam frondis, quæcumque vnguenta odorem in lon-

ginqua iaculantia, à quacumque arbore, flore, animali sudata, aut artifice temperata manu, contemnet vt sordes, & inimicos naribus odores. Da delicias, & quidquid Neronianæ ac Sardanapalicæ mensæ inuenere in luxum, quidquid in lanxibus Drusus, quidquid Apicius, quidquid histrionis filius, post sexcentorum millium patriam patinam, ne mendiciùs patre cœnaret, in margaritis; quidquid in adulterino sapore Ausidius lurco ausus est; quidquid in regnorum gemmis Cleopatra, cùm vno hausta imperii non infimi opes ebibere mulier potuit. Quidquid in palati tormentum sæua crudelitas inuidia insurgente reperit, quibuscumque venenariis acidisque ac morticinis temperata. Frustra hæc studia. Electibiles epulæ, medicata potacula; & quidquid luxus aut odium, in præmium, in pœnam, in curiositatis expletionem cogitauit; occupa-

cupauit palatum amor. Vt quod in febribus euenire solet, cùm in palati amaritudinem cibum omnem potumque trahunt infelici metamorphosi, sapidissima quæq; in acerbissima, & inimica gustui, in linguæ noxia vertentes: idem de amore cogites, sed felici commutatione, melioreq; vicissitudine. Præbe insipidissima quæque & quæ solo tactu mortem accersant, in sapidissima transmutabuntur amoris temperamẽto: præbe mera fella, mella erunt amoris manibus temperata: præbe quidquid siccitate æstuq; suo torridum, amoris imbre perpluetur: p̃be quidquid scabrum asperumq;, molescet amoris rore tamquam nardo delinitum. Ita non mentem modò, sed & corpus ipsum delicijs afflat repletque cælestibus Amor; vt solo iam dilecto pascatur amans. Ita Moyses supra humanæ naturæ facultatem, quadraginta diebus totitemq; noctí-

noctibus ieiunium perennauit Amore pastus. Stylitas qui videt non statione magis quàm ieiunio prodigiosos, quid dicet nisi Deo saginatos, ciboque propè in solidum renuntiasse? pascebantur interius nobiliore, certiore. Concedat hunc mihi Amor meus, cuius deliciæ esse cum filiis hominum.

De tactu quid dicam? molle omne durum amanti est; læue omne callosum amanti est; æquale omne distortum amanti est. Ferrum illi & sclopi pro purpura sunt; cilicia & horror sacci, pro bombycum stamine; candentes laminæ, cruces, prunæ, succensæ fornaces, ignes picati, liquaquatum plumbum, sulphure & pice mistum, adactus per medium hominem stipes, rotæ & forcipes, & quidquid vlla tyrannis ad explendam odii improbitatem inuenit, pro puluinari amato & plumea sunt culcitra. Etiam in Phalaridis tauro & in

Baby-

Babylonia fornace cantabit lætus, ridebitque spectatores suos; quin è craticula prouocabit in mensam; ex horrore & pædore carceris, in paradisi amœna; ex equuleo & flagris, in deliciarum locum; ex liquata pice & plumbo, in vnguenti delibutionem. Ita prodigiosus omnis amor est, in naturam suam vertit quidquid dederis.

Cogita dormientem, & amico sopore toto pronum corpore prostratum, post labores & sudores, post quos suauior somnus est. Adhibe musicam, Sirenum voces, & quidquid suaue modulatui, nihil sentiet, nisi fors dormierit etiam altiùs hac quasi illecebra somnique prouocatorio. Imò si quæ ex alia quacumque caussa insomnia nata, accedat amor, arbitraberis in nutricis sinu aut genu, aut inter molles cunas somni conciliatrices profundùm indormire.

Cogita vas liquore plenum, & quod supereffluat. Adde redundantia alium, siue bonæ, siue malignioris notæ, ne quidquam tentaueris. Idem in amore cogita. Cuiuscumq; totam mentem possederit, frustra immittes aut inuidentiæ & odii liquorem, aut voluptatis fœdam saniem, aut honorum turgidas spumas, aut opum resplendentes aceruos, aut leues vanæ ostentationis arenas.

Vina propinabis? meliore mens ebria nihil deructat præter amati cellas, vinumq; germinans virgines. Gemmas propinabis & aurum? ditiorib⁹ potauit amatum Amor. Purpura vestiet? calcabit pedib. diademata & sceptra, omnemq; ornatū regiū.

Musica implebis? diuinioribus longè modulationibus amatus cælorum tibias animauit, nobili musico concentu animam satians. Finge quidquid vbique mentem auresque mulcet, quidquid in aurium oble-

ctamentum vlla commenta est ætas; quidquid ars æmula naturæ in delectationem reperit; quidquid à quacumque delinifica voce animalium hominumque natum est canorum gratumque; inconcinnum arbitraberis & strepetum, & cacodæmone veriùs quàm homine prognatum, sicum intimis amati modulis, quibus animæ in abdito occinit, componatur. Hinc illi raptus Francisci, Dominici, Bonauenturæ, Ignatii, & à sensibus abductiones. Hinc mortuis quàm viuentibus similiores, & alibi veriùs quàm in corpore commoratio; hinc necessariarum etiam obliuio rerum, potus, cibi, somni. Intuere illos ad amati vocem, tamquam amica quadam vi soporis elisos, blanda quietis necessitate prostratos immobiles, quales ante vitam, ac post illam iacebunt; credes animam nondum conlatam, aut iam ereptam. Et tamen nihil minùs quàm quiescunt

quàm ignauescunt. Hinc denique non iam quasi soporifera quædam prosternatio, sed mentis de oppanso corporis in meliorem vitam lucemque demigratio: adeoque corpus ipsum potenti mentis desiderio amato potiundi, cælum terramque inter pẽdulum vim testatur humana maiorem. Intuere non vnum Sanctorum multis à terra cubitis in sublime raptum; ac ni moles obstaret, pertinaxq; concretio gelidatæ carnis, cælos penetret Amori suo iungendus. Vis magna. Quàm ne ipsi quidem, quibus frui contigit, pro dignitate, & ex vero explicent. Sentiri hæc res potest, exprimi non potest. Violenta hanc animam Amor meus, & potenti dextera tua iunge tibi. Quid mihi obiectas corpus? nolo illud, vt iungar tibi. Quid naturam adducis? renuntio priuilegio carnis, vt inenodabili spiritus vinculo nectar tibi. Quid vota reiicis in vitam alteram?

exue

exue hac me vita vt induar tua. Exspectare iubes? mors mihi mora omnis est, & morte grauior. Quare aut præscinde morasa, vt accelera mortẽ. Vtrumcumque concesseris beatus, quò citatiùs iungar tibi æterno nexu tuus. Concede hoc Amor meus, nec vltrà tendo vota.

CAP. II.

Votum Christo nascituro.

QVID lector spe magna dilecte mi, & spe detineor sol.? quousq; promissis diues pauper & inops iaceo? ha quoties imo ducti pectore suspiriis tamquam Herculea claua, cæstibusque æreos diffregi cælos; & nusquam Amor meus. Quoties discissis oculorum nubib. flumina deuomui melior delphinus, nec tot aquis prodigè sparsis, attraxi dilectũ meum! fallor. aut iam de propinquo insonuit Amor meus. Nam & vtero vbere-

vbereque tuberat Virgo. Necalium quàm dilectum tot secula spondent mihi virgine matre cœlo dandum. At longa amanti mora est. Dies, horaque, adeoque momentum omne annus est. Quid me dilecte diutiùs mortem inter vitamque suspensum tenes? mors mihi certa sine te, vita nulla sine te est. Quid vitam morituro negas? tu vita mea, & vita solus es. Viuam, si viuas, mihi moriar, si moreris mihi. Quousque virginis pasceris vtero, & fraudor aspectu tuo?

Quid te tenet in conclaui
Castitatis abditum?
Tot iam annos exspectaui
Ante secla conditum.
Redde pignus quod tulisti
Virgo manens integra:
Satis ventre nutriuisti,
Matris dones vbera.
Scimus matrem, scimus natum
Nascituram seculo.

Tumor

Tumor prodit cælo datum,
Quem fouebas clanculò.
Virgo natum quæ fouisti
Virgo lacte tubera.
Virgo carnem quæ dedisti
Virgo dabis vbera:
Felix virgo, felix mater
Dei prole grauida.
Natus suget, & implebit
Plena lactis vbera.
Nata Patri sponsa Sponso
Virgo dabis vbera.
Quæ tot seclis sunt promissa,
Deo dabis vbera;
Creatori creatura,
Et ancilla Domino,
Sempiterno moritura,
Parua dabis maximo.
Gaude sponsa, mater, nata,
Castitatis lilium:
Dei dono mundo data
Virgo dabis filium.
Virgo sinum per intactum
Laxa læta pondera.

Dona verbum carnem factum,
Quod distendit vbera.

Distendat & hoc auidum amoris pectus: vt disruptis antè repagulis, purior mens inuolet in amati sinum, quàm exulet ab amore. Quid hæres animæ? perfringe oculorum aggeres grato dilecto flumine; cuius secundo cursu dictuque in optatum naues amati portum, æternùm lilo fruiturus. At mora hæc interim longa. Discinde nubes, & adlabere dilecte mi. Quousque nostrorum æmuli cęli tot promissum seculis tamquam ære circumsessum dilectum meum cingitis? tot seculis vester est, vt exsatiari fames sitisque potuerit. Quid negatis promissum pignus mundo, ad vos rediturum? aut si iam concessistis, non tam voluãtate vestra, quàm inæstuantis amati mei impulsu. quousque Virgo mater dilecto gaudes solo? impleamur omnes votiuo tantùm in hunc diem gaudio grauidi.

Tuus

Tuus est, fateor; sed & meus est. Matris iure, tuus; adoptionis, meus. Largire quæ sola nunc mater potes tot expetitum votis, suspiriis, lacrymis, seculis. Quid diutiùs recondis mater, & publicare metuis cælo concessum natum? Si non erubuisti ad conceptionem, quid erubescis ad partũ? concepisti virgo, fouisti virgo, paries virgo, lactabis virgo. Rubor exulat. Tibi thesauros, gemmas, aureumq; delapsum cælo vellus seruas, Angelo denuntiatore, Sp. sancto formatore? etiam inter vbera tuus erit. Ne verere ne intercurrant aliena: solo virgine lacte pascitur dilectus meus. Nulla hoc vbera fundent præter tua; ne metue. Virgine ludet ille sinu tuo, collo pendebit tuo, vbere lactabitur tuo. Videamus te matrem: an erubescis ad nomen matris? Vterus natum prodit, angelus, totque iam antè vates cælo pleni. Nulla meritò erubescat virgo mater. Erubescat

quæ

quæ è virgine sua quantumuis casto toro exiuit: nulla in te ruboris causa, quæ vbique semperq; ie virgo es, & audis. Largire proinde mundo natũ, vt proprior iam dicaris virgo mater. Vt quàm virginem fatemur, fateamur & matrem, & omnium seculorum prærogatiua Dei matrem; tanto illo propinquiorem, quanto nato mater est carne & sanguine vna. Cõcede Natum mater. Nihil tibi è donatione hac decedet. Manebit qui antè tuus, tuus nunc meusque, nulla sui parte accisus, nulla tibi defiustandus. O veni & exspectatione lassam refice mentem, nisi forsaliquid tibi hîc displicet Amor meus. Impera, & experire num idoneum delegeris amori tuo.

Si vis fletum & dolorem,
Mille cum singultibus;
Numquam ponam hunc mœrorem
Nisi in tuis nexibus.
Si vis pœnas imperare

Duro

Duro mortis genere,
Flagra si vis irrogare,
Aut te morte quærere,
Vre, seca, nil inultum
Transi, nusquam deero.
Tantùm dona consepultum
Casto matris utero.

Hæc vota mea de penetrali mentis deprompta, quò te tandem fruar dilecte mi, inter amica suspiria lacrymis natantia; inter mistas oculorum fontibus preces amoris fornacibus excoctas; inter inæstuantes amorum flammas oculorum fluminibus temperatas; inter calétia meliorib. ignibus vota denso oculorum imbre rigata, quæ tibi nominiq; tuo æternũ sacro. Distrumpe tantùm cælos & delabere dilecte mi. Non cum parvulis sermocinatio tua? *Ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum*, cunis & vberibus natus. Permitte me satiari cunis & infantiæ tuæ pannis. Virilem togam, & quid- 3. Reg. 3.

quidquid adoleſcentiam tranſcendit lubens volensque cedo aliis. Preſepe & faſcias largire mihi. In fœno & ſtabulo deliciæ meæ. Ibi illas opperiar dilecte mi; vt expleam famem, reſtinguam ſitim mora tua proritatam; quam nullæ menſę, nulli fontes, aut vina, extra te ſolum inter vbera commorantem, ſedabunt. Tu enim ſolus es, qui inter infantię pannos, anhelum auidumque pectus, mentemque amore fatiſcentem, abeuntemque animam reddere ſibi potes: qui exanime corpus redanimare anima meliore, tua nimirum dilecte mi: vt non iam cum Moyſe claritate veſtiar, non cum Stephano angelico faſtigio induar; aut vmbra hîc, aut veſtigium, aut ſpiraculum deniq; aliquod deciduum, & de afflatu tuo animatum ſit; ſed tu ipſe.

Quamdiu premar hoc carcere, & circumſcribar corpore tot cõcupiſcentiis

centiis euigorato? tempus est vt me è durissima omnium seruitute in libertatem vendicem: vt tot iam annos mens hæc, carni ancillata, erigat se ex alto somno & famulatu ad Deũ creatorem suum, ad animæ suę sponsum. Numquam hoc fiet, nisi antè tu librator, adflator, animator vniuersitatis, Verbum Patris, primordiale primogenium, cunas, pannos, fœnum passus & virginis matris vterum vberaque, arentem hanc animã nouo spiritu tuo iuundaueris: ac in meliorem obsequentioremq; spiritui carnem membra hæc corporaueris; vt licet in carne, exul tamen propè carnis, tibi & tibi soli viuat hæc anima, ignorantię morte discussa, ac velut de sepulchro veteris hominis in nouam lucem erumpens. Concede hoc mihi dilecte votorum meorum: vt viuam iam non ego, sed viuas tu in me, qui solus meritò vita dici potes. Fiet hoc, si amore duarum harum

harum substantiarum quadam quasi fibula ac glutine adnectas mihi. Sperare hoc possum, vbi te videro in virginis matris sinu ludentem, & ad vbera me dilectæ genitricis tuæ prouocantem. Eueniat tandem tot desiderata seculis dies illa, tot olim suspiriis, precibus, lacrymis exoptata. Al-

Psalm. 16. labere dilecte mi, vt *sub vmbra alarum tuarum* sedeã, *fructusq;* carpam *dulces gutturi meo*, vberum fructꝰ genetricis

Cant. 2. tuæ. *Odor vnguentorum* eius *super omnia*

Cant. 4. *aromata*, *fauus distillans labia* eius, *mel & lac sub lingua* eius; *& odor vestimentorum* eius, *sicut odor thuris.* Verùm quò mihi hæc sine te? *hortus* enim

Cant. 8. *conclusus* genitrix tua, *hortus conclusus, fons signatus.* Quis fructus vtriusque? resigna hunc hortum, resigna fontem, qui solus potes. Quis cultior hortus virgineo pectore? lordent hic Alcinoi pomeria, Midæ roseta, & quidquid inoculorum oblectationẽ cõmenta vetustas est. Quis fons præstantior

stantior vberibus matris? solue pectoralem fasciam nobilissimi horti: fluantque fontes virgine lacte grauidi. Fiet hoc, si te dederis mundo, si elapsus virgineo carcere vbera complexus fueris matris. E quorum diuite fluxu, tamquam analecta quędam mensarum, aut racemationem vindemiationi superstitem, auidus sitiensque hauriam. *Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Matt. 15.

Quid moram nectis? ne verere. *Vbera* genetricis tuæ sunt *botri vineæ, odor oris* eius *sicut malorum, guttur* eius *sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum.* Veni dilecte mi. Ne patere tot lacrymis frustra rigati terrā, tot noctibus diebusque suspiria ne quidquam trahi. O quando! *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris,* tot mēsibus reconditum; *& deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Non frater meus Cant. 7. Cant. 2.

meus es, & os de ossibus, caro de carne mea? Mater ergo etiam genitrix tua mea est; vbera tua mea sunt, hæreditario iure tua, adoptitio mea. *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Non hyems abiit cælesti calore in virgineum vterum lapso? Non flores apparuerunt vberum genitricis tuæ? vineæque in iis florentes maturo distentæ rore longè latèque odorem suum sparserũt? & tamquam ficus protulerunt grossos suos? Mer. tò proinde nunc putationis tempus aduenisse dicam. Et nonus tamẽ nunc mensis currit, cum Bethlehem sedet gemebunda & sola. *Facta quasi vidua, & non est qui consoletur eam.* cùm nemo solari eam possit, præter te vnum. Languet domina Gentium & Israël,

Cant. 2.

Israël, & à manu sola tua medela speranda est: sedet in tenebris, nec alia denoctari luce potest quàm tua.

Exsurge oriens, vt fruamur in plenum optata luce tua. Quid tamdiu reconderis nube? elabere. Quid trepidat nubes? potes integra nube. Neq; alium speramus quàm qui virginea obuolutus nube, integra eadem, lucem dabit seculo. Nolo illam fulmine prosciſſam; virginem volo, qualem die media non rarò experimur, quæ etiam ardorem temperet solis. Ita olim pauore concussus inclamat Israel, *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Nos per virginem matrem tamquam per caliginem, carnea nube tectum, vultum tuum exspectamus. Nam quis videbit faciem tuam & viuet, nisi ingenti nube velaueris illam? Nolo nunc istam nudam, & carne sua tamquam veste viduam, ne moriar. Vestitam volo, *Exodi 20.*

& tamquam vnam è nobis; adeoque & carnem iam de carne mea. Hac veste labere dilecte mi: vt in illa te fruar non modò in sinu & inter vbera virginis matris tuæ, sed & inter vbera Magdalenæ huius animę meę, Zachæi, Pauli, Centurionis huius: vt nõ iam vltrà repam mœroribus plenus, terram deuerrens oſculis, turtureisque humectans lacrymis, non sedeam super flumina Babylonis, & fleam dum recordor aduentus tui: sed dono iam tuo diues, exultem *vt gigas ad currendam viam; saliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis capreæ hinnuloq; ceruorum, donec aſpiret dies* illa magna, qua in æternum facie ad faciem iungar tibi Amor meus.

Psalm. 18. Cant. 2.

CAP.

CAP. III.

Ad Annunciationem Dei Matris.

MIssus est Angelus Gabriel à Deo in Luc. 1.
ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis MARIA. *Et ingressus Angelus ad eam dixit, Aue gratia plena: Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Dixit autem* MARIA *ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? & respondens Angelus dixit ei, Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Dixit autem* MARIA, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuũ.* Inaudita retrò seculis legatio. Deꝰ Angelũ ad virginẽ delegat. Obstupesci-

te cæli super hac legatione cælestis Patris. Deus mittit tamquam virginis assensum expectaturus, quasi nec Spiritui sancto sponsa, nec Filio fieret mater, nisi annueret legationi. Mittitur ergo Gabriel Angelus qui legata deferret, vt tam diu staret cælum, nec sponsam suam obumbraret Spiritus sanctus, nec cælestis Parentis filius, filius fieret virginis; nisi legationi annueret virgo. Crederes nec maritari Spiritui sancto, nec matrem fieri posse, nisi descenderet in verba cælestis Patris; vt nec descenderet in vterum verbum nulli referandum, nec formaret è virgine sanguine carnem Spiritus sanctus, nisi ad summi Parentis accederet voluntas virginis. Nimirum cælestis illa nubes tot seculorum frigore gelidata non colliquesceret solaribus Spir. sancti radiis, nec cælestem deplueret ignem terris, nec virgo nostra virgine suo vtero, virgine æternùm terrâ hauri-

hauriret delapsum imbrem, nî consensum præbuisset legationi. Quis crederet, nisi tam operosè Spir. sancto dictatore vniuersa legatio testata foret? quanta dignatio virginis, cuius quasi nutui obsequeretur cælestis Pater, Filius, Spiritus; ille mittendo, Filius parendo, Spiritus sanctus formando? quanta gloria virginis, ad quam è cælorum summo destinaretur à Patre & Filio legatio, Spiritu sancto comite, Angelo denunciatore? quanta virginis dignitas, à cuius nutu decreta penderent æternitatis, vendicatio è seruitute nostra, libertatis è vinculis assertio, cælorum reseratio, salus nostra?

Quid hæremus mortales, & de veneratione dubitamus, quam omnium seculorum nobilissima legatione venerari voluit cælestis Pater? quid dubitamus virginem hanc carnem colere, è qua mutuari suam voluit coæua progenies Patris? Ve-

neror coloque te virgo magna. Nec laudes tuas vlla tacebit ætas, quam Angelo denunciante & gratia plenam, & Domino gratam & benedictam in mulieribus, & à Spiritu sancto obumbrandam, & verbo fœcũdandam discimus. Quam tamquam maritali toro, Patre annuente, Spiritus sanctus sibi iungit, è quo caro de virgine carne, de virgine sanguine sanguis verbo nasceretur æterno. Stupuit attonitæ similis, ad laudes suas virgo. Magis etiam quia mater futura, quæ ignorabat virum. Nec didicerat sine viro nasci filium. Et virum virgo ignorabat, ignoratura æternùm. In hac lucta ignorati viri, & futuræ matris, hæsit dubia. Nec filium auersabatur, nec virum admittebat. Egredi è virgine sua nolebat; & filium iam tum Angelo denunciatore amabat. Quid ageret virginitatis & filii amans? filium admitteret? verebatur virum; admitteret

ret virum? periclitabatur virgo. Nec exsoluere se his difficultatibus poterat inassueta his quæstionibus. Hinc illa verba, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Sanctiore nimirum iam pridem castimoniæ voto obstricta; & antè mortem delectura, quàm virum, nouo in illam ætatem exemplo, sed quod iret in posteritatis exemplum; quo tot virgines soli Deo maritandæ non cognoscerent virum, & antè per ignes & tormenta & omnium carnificum irent ingenia, quàm virginem suam sacratam Deo, viro crederent. Soluit dubium Angelus, matrem docuit fieri & manere virginem. Audiit lætabunda, & paruit virgo; ita tamen si vtrumque concederet. Tanti nimirum moliminis erat annuere Deo, quam diu de virgine sua dubitabat. Vt liberata metu est, & didicit non iam viro, sed Spiritu sancto obumbrante nascitur ũ filium virgine vtero, virgi- *Luc. 1.*

neque carne, nulli ne in partu quidem reseranda, annuit legatis virgo,
Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Inde iam exultant cæli penduli antè de assensu, dubii de exitu: prosiliunt cantica Patri, Filio, Spiritui sancto in gratiarum actionem, virgini in laudem. Et adamabat antè Spiritus sanctus sponsam, verbum futuram matrem, Pater Filio matrem. Magis etiam, vt audiuerunt solicitam de virgine sua, non antè annuisse quàm & mater & virgo esset.

Quò raperis amor castus? dubitat virgo paritura Deum, vellé ne esse mater, si de virgine sua exeundum sibi foret. Castus amor quid non potes? mentior si non te amo castissime amorum. Non dico me sequi. Amo tamen, quoque te careo magis, hoc amo magis. Nam vt possessa quis amet, tamen nescio quo modo, absentium maius desiderium est. Ita præsen-

præsentem valetudinem proiicim⁹, absentem quærimus; nec beneficiũ agnoscimus quo fruimur, agnoscim⁹ quo caremus. Et ferè absentium maior veneratio est, consuetudo negle-ctum parit. Sudamus in deperditis, parta negligimus, tamquam si satis sit habuisse. Quid, quòd difficultatibus crescit amor? tanto nimirum plus amaturi, quanto plus laborum sanguinisque parsimus. Victoriatum nimirum & triumphatum ampliùs, vbi pugnatum & sudatum ampliùs.

Redeo ad virginem. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuũ,* Luc. 1. vt mater audiam & virgo. Et quem vtero claudam virgo, reddam virgo, vbereque lactem virgine. Dictum factum. Vt arbitreris è veteri formula matrimonii hæc fuisse, & assensu hoc virginis quædam quasi connubialia solemnia firmata. Dixerat, & concepit vtero virgo, Spiritu sancto

tamquam cæleſti maritali connubio virginem obumbrante: vt iam mater audiret & virgo, admirata ſe matrem quæ ſciebat virginem.

Illud nouum, ancillam dici, quam legatione cæleſti non in famulam, ſed in ſponſam & matrem Spiritui ſancto & Filio delegerat & popoſcerat Pater. Neque legatione hac opus erat, vt in ancillam aſciſceret aut ſibi illam aut filio Pater; maluit tamen illa, cùm ſponſæ aut matris poſſet, ancillæ præferre nomen. Ita quo quiſque Deo plenior, hoc & ſubmiſſior eſt. Magnus eſt & magna de ſe ſentit. Ludit hîc aliquis error. Videri fatebor magnum, magnus non eſt. Quin, paruus eſt, quicumq; de ſe ſentit magna. Neque illi magni, qui mendacio magnitudinem iuuant. Quid ſi in monte pumilio ſteterit, magnus erit? ſi in puteo gigas, paruus erit? nihil illius ſtaturæ addet montis magnitudo; nihil huius adimet

met putei altitudo. Magis etiam apud Deum, qui non cothurnos metitur aut subsellia, sed hominem homine suo. Vis apud hunc esse magnus? Virginem imitare. Forma, viribus, eloquentia, eruditione, prudentia polles? adde opes & honores, diademata & sceptra & purpuram latè sparsam, quæ marmora, aurum & gẽmas verrat. Ride hæc magna, contemne, & calca; nisi calcari ab illis malis. Et quid hæc sunt si animam cogitas? magis etiam si cælum, & Deum? quid hæc ad Dei matrem? & illa famulam se fatetur. Tu quid dices? nõ beatum se arbitrabitur quacumque purpura fulgeat, si in famulæ huius famulum delectus fuerit? Imitare Dominum & Domini tui matrem, quicumque Filium amas. Deprimeris ac quadam quasi voluntaria volueris iniuria; magnus es, eoque maior, quò deprimeris magis. Extolleris & vltroneo conatu magnitudinem

iuuas; paruus es, eoque minor, quo extolleris magis. Vt in hac arena creuisse decreuisse, decreuisse creuisse sit. Iuxta illud Lucæ, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Et illud Matthæi, *Quicumq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Comprobat exemplo suo, *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et fortiùs etiam illud in terrorem, *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.* Sciebat hæc virgo nostra, & ancillam se fatetur cùm posset matrem. Ancillare nimirum venerat, quia & filius eius ministrare. Nec multò, famulatur in Elisabeth domo mensibus tribus. Aut quisquam arbitratur maiorem Magdalenam fuisse, cùm omnium oculis caderet, omnes illius; an cùm lacrymis tam-

Luc. 14

Matt. 20.

Matt. 18.

quam

ramquam imbribus Christi sui pedes rigat, tergit capillis, purpurat osculis? aut Paulum cùm minas vomit & sanguinem, an cùm *cadens in terram tremens & stupens* interrogat, *Domine quid me vis facere?* an Chananæã valentem & nullius indigam, aut cùm prorumpit in has voces, *Catelli edunt de micis quæ cadũt de mensis dominorum.* Et audit, *O mulier magna est fides tua. Fiat tibi sicut vis?* aut Pharisæus magnus, & iam non *sicut cæteri hominum.* Sed ieiunat *bis in Sabbatho, decimas* dat *omnium quæ* possidet; & non verius Publicanus, qui *à longè stans non volebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori?* Aut adolescentior filius maior, cùm valediceret patri, opum & honorum plenus; an cùm à porcorum siliquis *in se reuersus*, paternis obuolutus pedibus exclamat: *Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut*

Act. 9.

Matt. 15.

Luc. 18

Luc. 15.

vnum

vnum de mercenariis tuis ? an Petrus maior, cùm fiducia plenus audet, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; an, cùm *egressus foras, fleuit amarè*?

Matt. 26.

Ne fide magnis, anime, humilia calcantur tutiùs, excelsa præcipitiis parent. Post Antiochum Græciæ, Nabuchodonosorem Babylonię tyrannum, Chaldæum Baltassarem, & tot magna secli nomina, luto & cineribus pariata, quid magna cogitas? Pompeium & Cæsarem, Alexandrum & Hannibalem, Cyrum & Darios qui cogitat ferri aut veneni hostias, quid magna cogitat? & tamen si adeò delectant magna, virginem nostram cogita omnium ancillam, Christum cogita omnium famulum. Imitare. Et magna spera. Cælo non terris reposita magna. Nec longa mora. Fors cras, fors hodie, aut hac ipsa hora præmia spera, qualia nullum seculum dabit, ac

ne spondere de mendacio quidem possit.

Eia anime, sequere ducem. Non potes errare. Prima debentur humilibus, vltima magnis. Delige. Momẽtanea hic magnos magna, humiles hic manent parua. scena reducta, pro momentaneis succedunt æterna; illis in ignibus, his in præmiis æternis. Lazarus nos docet, & diues Epulo. Delige. Et repeto. Sequere ducem, anime. Et incipe amare hæc humilia, si aliquando claudendum speras pectori, quem vtero clausit virgo. Delectatur humilibus, & cum humilibus sermocinatio illius. Sanè super contritum & humilem corde requiescit spiritus eius. & exemplo suo vocat, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Pax ab humilitate, turbatio à superbia est. Tranquillitas ab illa, bella ab hac nata sunt. Staremus in paradiso felices animæ, si stetisset *Matt.* 11.

tisset humilitas, exulasset superbia. Semel hac admissa, exulam⁹ omnes, etiam qui paradisi nullum cespitem nouimus.

Perge, anime, sequere ducem. nec pudeat virum virginis insistere vestigiis. Præit illa. Desperare pudeat, aut ignauo sopore terram verrere. Vis Christum tuum aut virgine adhuc vtero deliteſcentem, aut vbera sugentem, aut collo pendentem, aut oſculo beantem? imitare ancillam matrem. Vis ignem hunc pectori inardentem; ſolem corde lucentem, muſtum & fauum totum hominem poſſidentem? imitare virginem. Si per rupes & montes & Arabiæ deſerta mitterem, quæri fors poſſes, aut retrahere pedem, aut hærere dubius, difficultate victus, aut magnitudine territus: verùm per plana te mitto, & multorum protrita pedibus. Secura hæc via eſt. In præcipitio & in lubrico qui ſteterit, timere poterit. Plana

calcan-

calcantibus rarior & securior lapsus, & facilior erectio est.

Aude, anime. Magna te manent paruis, nil maius virginis nato. Vis hunc etiam ab vtero & vbere recentem? memento ancillæ matris, & sequere quà te ducit. Cõcede hoc mihi, magni Regis magna virgo mater. Excute huic animo fastum, & insere amorem tuum, filii tui magni magnum. Nullus amor fastui, humilitas amoris dux & indiuidua comes est. Non separantur amor & humilitas, non coalescunt superbia & amor. Quantum se quisque submisit, tantum amauit; quantum rextulit, tantum ab amore recessit. Humiliasse, amasse est; superbisse, odisse est. Fuge arrogantiæ toxica quisquis amas. Periit omnis amans, si venena hæc biberit. Fuge. Ita fiat amor meus. Pelle hunc fastum, & quidquid de arrogantia seculum sapit. Nesciunt in Bethlehemico stabulo, aut in virginis

nis ſtabulare toro ſuperbia & amor.

Procul ergo, procul omnis faſtus. Amo te mea humilitas, vt amem te meus Amor. Sequor te amica humilitas, vt fruar te Amor meus. Amplector te mea virtus, vt poſſideam te Amor meus. Vt inter vbera hæc commoreris peccatricis animæ tuæ, & Magdalenæ iam tuæ, & ô! æternum tuæ, Petri, Pauli, Matthæi, Zachæi, Publicani iam tui. Repeto, & ô! æternum tui. Vt nulla me à te ſeparet aut arrogantiæ rabies, aut carnis illecebra, aut ſeculi vanitas, doloſo honorum & opum tecta cinere. Sed viuam tibi, moriar tibi, & cum virgine ancilla, matre tua, æternum viuam tibi, colliqueſcam tibi, vt vnus iam tecum carne in matre, amore ſim vnus, & vnus tantum.

CAP.

CAPVT IV.

Ad Visitationem Dei Matris.

VT *audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc. 1. Felix salutatio, ad quam exultat infans in vtero, & repletur Spiritu sancto mater. Quanto spiritu necessum erat esse plenam, quæ sola visitatione matrem sobolemque repleret. Miramur implesse? quis miretur de flumine torrentes natos, de Oceano flumina, de nemore arborem, de caule fruticem, de arbore ramum, de ramo florem; de Sole radium, de ignib. scintillam, de monte arenam,

de

de imbribus guttam ? minora hæc sunt ad nostram matrem. Cuius virgine vtero, æquæua claudebatur progenies Patris, primogenium & interminum Verbum pariatū per omnia Patri. Quid mirum si non torpescat otio verbum, cuius nutu pendet hæc machina, peritura & ad primordiale reditura chaos, si subtraxerit manū? magis mirandum fuerat, si stetisset tanquam oppressum sopore, nec flammas excussisset hic ignis quem cælo miserat Pater, clauserat vtero tamquam imbrem nube virgo mater; nec lucem diffudisset hic Sol magnus nube licet sua tectus; nec odorem sparsisset hic vterus aromatum primorum cella facta; ad quorum odoramentorum vim adolescentulæ decurrerent verbo maritandæ, quæ maturitatem suam sacrarent illi soli, à quo quidquid est virginum æternùm fluxit; nec penuaria hæc musto grauida exsurgerent lætabunda, quo

Spir.

Spir. sancti manibus ebrius orbis amoris deuomeret imbres, deructaret odorata ô nimium vina germinantia virgines.

Nec repletur tantùm Elisabeth mater, sed exultat infans vtero clausus. non exultaret infans musto plenus, odoratissimo perplutus imbre, solaribus excitus radiis, igne viscera lambente? Exclamat inde mater à torcularibus his ebria, tamquam potens crapulata à vino, *Benedicta tu inter mulieres.* Inter virgines & matres, virgo mater. Vt inclament omnes in tympanis, cantent in cymbalis, & organis, & citharis, modulentur in Psalmis, *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciſti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Quid miramur benedictam cui benedixit Dominus, benedictione seculorum cælorum-

Luc. 2.

Iud. 15.

lorumq; primaeva fieret mater, nata,
Luc. 2. sponsa Patri. *Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?*

Verùm à quo didicerat virginem matrem? docuerat qui impleuerat, & quem circumferebat vtero *benedicta* illa *inter mulieres.* Vt nihil iam nouum, si exultet *in gaudio infans.* Nam si vno oculorum iactu potuit videre Elisabeth virginem, & Domini matrem, quanto potiore iure videret Dominum; de quo illud Angeli ad
Luc. 1. Zachariam: *Erit magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Vidit & exultauit gaudio plenus, Spiritu sancto plenus, Angelus factus noui testamenti, præcursor Domini,

mini, de quo illud legimus: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Et de quo illud viciſſim Domini diſcimus: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista.* Vt nihil iam miremur magnitudinis & gratiarum prærogatiuam. Nec alia magis trita, nec certior ad excelſa via eſt, quàm ab humili magna ordiri. Hinc illud Auguſtini: *Altus est Deus. Erigis te, & fugit à te; humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus est, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit. Humilia de proximo respicit, vt attollat: alta, id est, superba, de longè cognoscit, vt deprimat.* Quis proinde non meritò arbitretur ideo à Domino dictũ? *Non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista;* quòd rogat, eſsétne Meſſias reſpon-

Ioan. 1.

Luc. 7.

Matt. 11.

Ioan. 1. respondisset, *Non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Eadem habes in virgine nostra, cùm audisset,
Luc. 1. *Benedicta tu inter mulieres*, reddidit vt ingenti plena fiducia, ita & submissionis verba plenissima, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo:* subexuit lætitię causam. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* ô si & exultet hic spiritus meus in Deo salutari meo! & in nulla re alia vltra margines, vt concessos naturæ fines, lætabundus exultet quàm in eo! procul caro & sanguis, gloria & honores. Exultabat in illis qui dicebat a-
Luc. 12. *nimæ suæ, Habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Et audiit à Domino: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cuius erunt?* exultauerat a-
Luc. 16. lius, *qui induebatur purpura & byssо: & epulabatur quotidie splendidè*; & inclamat

mat sepultus, *sepultus in inferno, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarũ, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Et audit, *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Infelix exultatio, pœnis exsoluenda æternis, ignibus, æternis; in quibus rorantis & stillantis digiti gutta negatur, & pro tam modica exultatione, mœror succedit æternus. Dira commutatio. Pro momentanea voluptate ignes pati æternos, materiamq; fieri non moriturarum flammarum æternam. Felicior Lazarus, cuius momentanea paupertas gaudiis opibusq; præmiatur æternis.

Pelle hæc peritura, anima mea, & cũ magna hac matre, exulta in Deo salutari tuo. Reliqua omnis exultatio, de ignibus & mœroribus æternis est: sola Dei de perennaturis gaudiis

est. Expedita hæc exultatio est, si dignata te fuerit visitare diua hæc mater, & à torcularibus suis Spiritu sancto calcatore spumantibus, sudantibus, inebriare te musto; à diuite odorum penu primis perflare odoribus myrrhæ, thuris, nardi, croci, cinnamomi & vniuersi pulueris pigmentarii; à luce sua magna, qua & illustrat vtero clausos, detenebratq; matrum viscera denoctare hanc animam dēsis, ô nimiùm consepultam errorum scelerumque tenebris; ab ignis sui validi decidua aliqua scintilla, hanc cordis mei glaciem, animæ meæ frigus, pectoris mei teporem, accendere in flammam, qua decineretur quidquid hic noxium & inimicum latet illi qui per virginis matris vterum fulmina iaculari consueuit, siue in Ioanne exultabunda, & gaudio plena; siue in Elisabetha admirabunda & portentosa. Optatæ flammæ! quis mihi has concedat, quibus

aut

aut inæstuem cum Magdalena, aut ardeam cum Paulo, aut accendar cum Stephano, aut grato replear cum Petro & Publicano oculorum flumine, munificentia cum Zachęo, fiducia cum latrone? Tu potes benedicta inter mulieres beare me hac ignis tui flamma, flammæ tuæ scintilla. Bea; vt inardescam totus dispertitarum linguarum igne magno, & fiam flamma vna virginis vteri tui ignibus socianda, vt non iam duo ignes, flammæ duæ; sed vnus exsurgat ignis, flamma vna, amoris magni tui, cælo demissi, amorisq; mei, igne tuo accensi, cælo immittendi. Fortunata dies, qua his ignibus inardescens omni iam musicâ vocalior, omni concentu sonantior prorumpã in voces lætitiæ tuæ magnæ; *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomẽ eius.* Hæc magna à quo sperem, nisi à te, tamquã nube mea magna, imbrem magnum; aurora mea Luc. 2.

magna, rorem magnum; luce mea magna, radium magnum; igne meo magno, flammam magnam; horto meo magno, florem magnum; nemore meo magno, arborem magnã; vineæ meæ magnæ botrũ magnum; cellę meæ magnę odores & vina magna? Cõcede hæc mihi magna, ſummi Regis mater, ſponſa, filia virgo magna; æternumque fruar beneficio hoc tuo diues, memoriąque æternùm memoria laudes decantem tuas terris cæloq; refigendas.

CAP. V.

Chriſto nato.

INANI vanáve ludor imagine, & mentitur ſtabulum; an vero nuntiat? Nam quæ hæc regia eſt, aut dignus Amori meo locus? vbi ſatelles & purpura, vbi aulæa, aut auro laquearia grauida? vbi

Diſtin-

Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras?
Ac sub versiculoribus figuris
Vernans herbida crusta saphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos?

Stabulum video, præsepe, asinum, bouem. Alto reliqua silentio peraguntur. Vbi genialis apparatus, vbi famulantium turba? & si regia est, non inclamem Seruuli

Rutilum toreuma byssо
Rutilasq; ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat vnda:
Opulentet vt meraco
Bibulum colore vellus.
Niue pulcriora lina
Gerat orbis, atq; lauris
Hederisq; pampinisq;
Viridantibus tegatur:
Epulas superbiores
Humeris ferant onustis.
Patera, scyphi, lebetes
Sopient falerna nardo.

Tripodasq; cantharosq;
Rosa futilis coronet.

Vbi musica & ludi æraque fistulata, & animata fila pulsu? vbi quidquid Regem regiamque redolet, diemq; genialem? matrem video paruulumque vberibus implexum, sinu ludentem, inter alta præsepia. Rusticam video casam, antraque sola matre & puero lætabunda & seipsis iam maiora. Credas prodigiosum fontem tuba excitum supra margines intumescentem hilaritudinem testari. Ornatus omnis exulat. Quasi cæli non alio egeant ornatu, quàm magni sui numinis. Et non omnis ornatus cælo illatus ad illum cæli Solem tenebrescat? Non iniuriam irroget huic terrestri Bethleemitico cælo, qui extra hunc puerum matremque ornamenta deferat, ornamenta quærat? Verùm antra & stabulum, quid sonant regium? quasi à loco ornatus Regi. Malo à Rege loco. Et

non

non stella duce Regem hic esse doceor? quæ signatior testatio? aut mẽtiri stella potest magni famula Dei? & non elingue sidus omni stilo aut voce clariùs intonat regiam, Regẽ, Deum? quid Angelorum voces gloriam altissimo decantantes, hominibus pacem? quid pastores grata Domino Regique munera deferentes? quid virgo mater virgine vtero, virgine lacte & vbere? non Regem illum eloquitur? felicia vbera virgine distenta rore! beatum vterum virgineo fœcundatum partu! dum virginea ludit inter basia, virgineasque matris purpurat filius genas, castaq; castis imprimit labris oscula; dum non ingrato virgineo errore inerrat capiti, dulceq; virgin. o collo virgineum pendet pondus; cũ nunc dextra nunc sinistra sedet virgine; nunc virgine salit sinu, nunc è matris genu adblanditur nutritio, vultumq; oculosq; frontemque premit, casta-

ąue dissuauiat ora, quid nisi amorem meum loquitur quem quærit anima mea? teneboillum, nec dimittam, *donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ.* Si non in vacua penetralia, nullius saltem nisi amore grauida. Amplectarą; dilectum meum, fouebo genibus, oraque, qui non possum lacte, rigabo lacrymis: & cùm nulla mihi casto grauidata rore fluant vbera, oculorum laxabo sinus. Non promitto virgineos, spondeo turturis mei viduos.

Cant. 3.

Felicem diem, qua amplectar dilectum meum, qua infigam casti pudoris oscula, qua teneras plantas dissuauiabo basiis, qua manus illius tornatiles aureas, digitosque ebore candidiores purpureis figam labris: qua membra à virgineo matris vtero recentia, virgineo antè purpureoque rore pasta, virgineoq; exinde lacte alumnata, sinu manibusque fouebo

uebo meis! quando beabor hac felicitate, conniuente matre, plaudentibus angelis, arridente nutritio, stupente cælo? quando mille figam basia? quando inuoluam cordi, cunarum vice, quandò pro fasciis stringam brachiis, pro culcitra substernam pectus, pro puluillo genas? quandò ab amoris fornace calentia felicia que figam refigam que oscula? quando frontem fronte, manibusque arctabo manus? quandò basiorum legam vestigia impressionibus purpurata? quando stabit dulce põdus genibus? quando suauis pendebit collo sarcina? ô dies! ô hora! fortunata dies. Cælum mihi, non dies, & cælo carior dies. Æterna hanc mihi diem Amor meus. Ego te semel mihi concessum reddam dilectæ genitrici tuæ? ignosce mater; mihi natus, mihi datus puer est. Non reddo. Quòd si vim feceris; morior. Sin pergis depositum poscere, vltimum

saltem hunc spiritum pia lege mater, & vberibus conde, vt hauriat hunc filius tuus, Amor meus, permistum virgine lacte tuo. Beatum me, si tam suaui molliqúe vberum monumento amore languidam, condideris animam, quam primo virgineo sucu hauriat Amor meus. Quàm suauiter tunc vterque virgineis incumbemus vberibus tuis, anima hæc mea, & Amor meus, Amor tuus, virgineo beandi lacte tuo? ô dies! properate mei dies, currite tempora. Quàm suauia imprimemus oscula ego & Amor meus? quàm bene è miscentur casta & pœnitentis labra? ô iterum fortunati dies! phi seculum, sceptraque regia, & inimica Dei caro. Amor meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter vbera. O genitrix, ô genua, ô vbera rore cælesti plena! ô stupor, & portentorum omnium portentum maximum! pendet ab vberibus Deus, cuius nuta librata

hæc

hæc pendula stat caditque machina. Virgine lactatur rore Deus. Stupescite Angeli & tu vniuersi series. Pendet ab vberibus virginis matris, conditor Deus. Ille virginea implet sugitq; vbera, pater & filius, conditor & filius. Ille æternitatis suæ manibus figulat sibi matrem, è cuius non iam costa, sed carne ac sanguine, carnem sibi ad sanguinem adaptaret, figulus factus & opus. Cæli illum nec terra capiunt, nec mille cælorum terrarumque spatia; & angustissimus tenellæ virginis virgineus clausit vterus.

Quid desideramus miracula? potuerūt cęlo maiora nasci, sperari maiora? Ille cælorum gloria, beatarum mentium voluptas vnica, ab vbere pendet infans; stabulo pro regia pastoribus pro administris spiritibus, vberibus pro Patris sinu contentus. Quid mihi narratis cælum Angeli? commigrauit in stabulum cælum, vt

iam si delicias velitis cæli, stabulum vobis & præsepia petenda sint. Anhelabam antè ad vos & subsidia sperabam cælo. Vertimus hac die vices, & mutuari vos video à nobis cælum. An non cælo potimur, qui cæli Dominum stabulo clausimus? qui pendentem illum videmus inter ybera? qui non pedes cum Magdalena, non manus latus q; cum Thoma, sed toto cum virgine matre ambimus corpore, totis constringimus brachiis? meritò terris occinitis pacem, quibus concessus est Dominus pacis? nimirum vos illum quærebatis, & tamquam cælo profugum, stabulo inuenistis reclusum. Vt iure optimo beatos decantetis homines, ad quos migrauerit cæli gloria, voluptas vestra, Amor meus. Non vltrà deprecor cælum vestrum, permittite mihi cælum meum. Adeoq; æternùm permitto vobis cælum vestrũ, si æternùm frui liceat in stabulo cælo meo. Vbicumque

que enim amor meus est, cælum mihi est. Etiam inter ignes cælum mihi erit, si amore in illis fruar meo. flammæ proinde & omne carnificis ingenium ludi mihi sunt, si dilecto fruar meo: infelixque adeò seculorum æternitas cælum mihi erit, si æternùm in illa fruar natali dilecti mei die, si Bethlehem mihi claudat latus, si præsepia cingant, si in hac ceruice ludat Amor meus, si toto procumbat pectore Magdalenæ suæ, Thomæ sui, Petri sui, Publicani sui, latronis sui, si semel possessionem adiuerit, æternumq; tenuerit cordis huius Amor meus. Qui vbi vbi fuerit, cælum mihi erit, tantùm audiat hæc vota mea inter Angelicos concentus, Pastorum munera, matris vbera dilectus meus, beetque me æterna fruitione sua sponsus iam factus animæ meæ, in die lætitiæ cordis mei, in die qua desponsauit illam mihi Pater eius, carnẽ iam de carne, sanguinemq; de

sangui-

sanguine, os de ossibus meis. Vt exclamare liceat, Veni Sponse mi, dilecte mi, ascende *per desertum* arentis & exsuccidi pectoris mei, per agrum hunc scrupulosũ, per meras rubinas,
Cant. 3 senticeta & tesqua, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarii*, vt ex deserto steriliq́ue corde pinguia tibi gratáq; surgant pascua: nam & in illo, cunarum loco, lectulum paraui tibi; *sexaginta* illum *fortes ambiunt* pœnitentiæ lorica armati, *omnes tenentes gladios*, secures delectorum meorum, *& ad bella doctissimi*, quibus aduersaria pellant agmina inimica tibi. Nonne iam antè ascendisti per desertum cordis mei, immanissimis scelerum feris inhabitatum, fragrans vnguen-
Cant. 1 tis optimis, cùm traheres me *in odorem vnguentorum tuorum?* cùm à seculi vanitatibus introduceres immeritem me, aciam tum ignarum consiliorum tuorum, adeoq́; & reluctan-

tem

tem in cellaria tua; exultantem postmodùm & lætantem, & cantantem in die desponsationis meæ? cùm audirentur illæ voces tuæ; Nigra es, sed formosa sponsa mea. Et quis miratetur me nigram? decolorauerat enim me ignis concupiscentiæ meæ, excoquens vsq; ad scoriam robur meum, nec ossium medullis parcens. Sed & filiæ matris meæ pugnauerant contra me, vt ruina mihi fuerit ex me. Quid facerem? desperare, fatuum erat: resumptis proinde viribus animoque quæsiui noctibus dilectum meum suspiriis grauis, cùm innatassem fontibus oculorum meorum, *caput meum plenum rore, & cincinni mei guttis noctium* lacrymarum mearum. Cant. 5.
Sed & eodem flumine *laui pedes meos* delictorum sordibus prægrauatos, *manus q; meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* quare & *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur,* Cant. 1.

quæsi-

Cant. 5. quæsiui illum nec inueni. *Inuenerunt* verò *me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Ita ab oculis reliquis q ie custodię administris, quibus concredita hæc ciuitas fuerat, grauia damna vulneraque tuli, vt, nisi dilectus meus me duxerit in domũ genitricis suæ, donetq; mihi non *poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum* suorum, sed vbera virginis matris suæ, ponatque *me vt signaculum super cor* suum, *vt signaculum super brachium* suum, æternùm miser perierim. Nec potuit huic tutelari propugnaculo commodior designari locus Bethlehemitico stabulo, in quo lectulum straui dilecto meo, cuius columnæ virgineæ fœcunditatis argenteæ; reclinatorium submissionis & obedientiæ promptę aureum; ascensus ingenui pudoris, intactæq; verecundię purpureus; reliqua caritate constrata iacent: quæ potenti robore suo amo-

Cant. 8.

rem

rem meum eripuit cælo, dedit terris, &quidem in stabulo, ne aut regia excluderet potẽtia, aut validis vrbium mœnibus. Nunc patent aditus, reserata planaq; sunt omnia. Nulla hîc nouercalia clauſtra, nullæ inuiæ rupes, non montes nubibus ſuperſtantes.

Quis ergo mihi neget Amorem meum cælis conceſſum, matre virgine datum? Fruere anima mea, tuus eſt qui ſtabulo natus eſt. Communia hæc præſepia ſunt, faciles cunæ, benigna mater, nutritius paratus. Cui ſi dederis tacitas amoris lacrymas, ſi denſata languentis animi ſuſpiria, ſi ſubmiſſæ mentis gratuita vota; patebunt intima regię huius magnę, nulli magis quàm lacrymis dulce cadentibus, quàm ſuſpiriis alte manantibus, quàm votis promptè delatis, quàm precibus inter illa ductis recludenda. Aude & ingredere anima mea, & poſt ſuſpirioſas noctes, poſt voti-

votiuos dies, post fontes & oculorum torrentes fruere dilecto tuo. Largire hoc mihi virgo mater, & tu Amor meus, vt in Bethleemitico cælo inter vbera virginis genitricis tuæ, æternùm fruar amore tuo, teque ipso fruar æternùm Amor meus.

CAP. VI.

Votum Christo in cunis.

DElitiarum mearùm Bethlehem, cordis mei gaudium, & suspiriorum dulce leuamen. Emedullatæ mentis imber fœcundus, exsuccidi pectoris ros matutinus, ingens languentis robur animi, prostratarumque virium felix reparatio. Amo te mea domus, templum meum, cælum meum. Dulce præsepium, dulces panni. Felicia vincula, quibus innectitur Amor meus. ô cunæ! ô suaues matris genitiq; risus! oculi! basia! fortunatum fœnum, cui pro molli culci-

oulcitra decumbit dilectus meus! Quis mihi concedat, vt non pœnitẽda metamorphosi demuter in fœnum, præsepe, pannos, fasciam? ite felices cunæ. Pro vimine mollia corda fero, quibus indormiat dilectus meus, fortunatissimis beatæ matris agitatus manibus, dulciqúe virgineo cantico somni prouocatorio in altã placidamqúe depressus quietem. Ite panni; capillos spondeo. Potuit his olim, quæ amabat, lacrymis antè lotos siccare pedes: & minor nunc viri quondam pedibus, dilectus meus, dum virginea vagit inter vbera, lacte pastus virgine? ite fasciæ; amoris mei nexibus stringam dilectum omni fascia potentiùs. ô vincula super omnia regna desiderata amanti animæ! stringite, ne effugiat aut elabatur dilectus: ne qua illum abripiat subdola manus, neque crudelia pellant arma Herode nata. Ite cælum, & quidquid ibi gaudiorum; Bethlehem.

hem mihi cælum, in quo dilectus di-
lecto præsepe fiam, cunæ, panni fas-
cia. Ignosce mater. Quid tam diu lu-
dis inter basia, numquam satianda,
numquam fatiganda amico ponde-
re? meus est. Osculetur me osculo o-
ris sui. Da veniam audaciæ. Meus est.
Quid accusas temeritatem peccatri-
cis animæ? Non pro peccatoribus
vtero clauditur, collo & vberibus
pendet, fœno decumbit, inuoluitur
pannis, stringitur fasciis? ignosce.
Multis nominibus meus est. Imò nō
quo plus criminum, hoc plus meus
est? & totus iam meus est; vt meritò
exclamem, Vulnerasti cor meum, di-
lecte mi, sponse mi, quem desponsa-
ui mihi primis cunarum lacrymis.
Vulnerasti cor meum pannis & fas-
ciis infantiæ tuæ, cùm penderes leue
gratumque pondus è collo genetri-
cis tnæ. Vulnerasti cor meum in vno
oculorum tuorum, cùm transuerbe-
rares hoc pectus infantiæ tuæ radiis

omni-

omnibus ſolaribus potentioribus. Vulneraſti cor meum amoris tui telo, cùm tamquam fulmine oſſium medullas intimaq́; depaſceret cælo iaculatus ignis tuus. Beati cineres amoris peruſti flãmis, vos q́; adeò felicia oſſa amoris ignibus emedullata. Fruſtra beatos quæro, ſi his ignibus decoquar dilecto. Pulcer es dilecte mi, *& macula non eſt in te.* Capilli tui tamquam *paradiſus malorum punicorũ*, cypri & nardi, croci & cinnamomi, ex *omnibus primis vnguentis*: vertex tu⁹ tamquam *aurum optimum*, & depurgatum ſepties: *Oculi tui* ſicut oculi *columbarum, ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſſima: ſicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ, collum tuum ſicut monilia* auro & gemmis variegata, vermiculata argento. *Sicut vitta coccinea labia tua. Fauus diſtillans* os tuum, *mel & lac ſub lingua tua*, & vinum germinans virgines. brachia tua *ſicut virgula fumi ex aromatibus*

Cant. 4.

Cant. 5.

Cant. 1.

Cant. 4.

Cant. 3.

Cant. 4. *matibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii. Manus* tuæ *torna-tiles aureæ,* hyacinthis, sapphiris & adamantibus distinctæ *Crura* tua *columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas. Odor vestimentorum tuorum sicut odor vnguentorum super omnia aromata.* Totus *pulcer es dilecte mi.* Et tamquam torcularia mustulēto grauida autumno, ita gaudiis cunæ tuæ redundāt.

Cant. 4.

Cant. 1.

Frustra proinde cælū extra Bethlehem quæro. Cælum hîc omne fascia includitur; & fascia nunc ego. Quid réliquum nisi vt infigam casti pudoris oscula? occupauit ora mater? infigam pedibus. Sat magnum mihi cęlum pedes; & omni adeò maiores cælo pedes dilecti mei sunt: quos cum Euangelica amatrice amoris lauem fontibus, tergam crinibus, purpurem osculis. Spargite oculi amica lachrymarum balnea, quibus innatent pedes ab vberibus matris pendentes; & omni iam al-

ueo

ueo maiores transilite vada, vt natet Bethleem cunæque dilecti mei, & in calentibus his fontibus à fœcundo æstuario profusis, post virginea vbera, ludat dilectus meus, vberib. satur, gratisq; imergatur vndis casti amoris manibus temperatis. Beatæ manus! ô liceat mollibus has dissuauiare labris, vt ludat in hoc vultu dilectus meus: comprimatq; hic genas, ibi labra, alibi oculos; frontemque amica signet tessera: vt è vestibulario hoc signo nobilissimi tau, non ignoratus viuam cælorum choris. ô beatæ iterum manus! æternùm ludite non in superficie tantùm, sed in cordis intimo, interque medullas amantis huius pectoris. Nihil hic tibi clausum Amor meus. Patent ostia reseratis vndique valuis, disruptis cataractis. Nec vllum secretum tibi cuius omnia sunt. Ludite hic manus, & tamquam in montibus aromatum vellicate virgulas myrrhæ, nardi, & balsami.

balsami. Proscindite has genas tamquam vomere; tamquam ligonibus & rastris disrumpite pectus; tamquã cylindro proterite quidquid hic prtuberat, & inæqualitate sua molestiam gradienti, aut cubanti dilecto parit. O quando te fruar præsepe meum, dilecti mei regia, & connubialis thorus? quando in amplexibus vestris, beatæ cunę, colliquescam totus? quando pro fœno substernar tibi dilecte votorum meorum? quando pro fasciis stringam, inuoluam pro pannis? felices præsepiales cunæ tam nobili prærogatiua ante omnia secula delectæ! felices panni quibus integitur Amor meus! cedite panni, cor hoc delectam in pannos, doctior quàm Seres, quibus fortunato cinctu innectatur Amor meus. æternent tantùm hi nexus. Quid si crescat Amor meus? crescent & panni. Quid si cum ætate eat in virum? sequentur panni. Quid si columnæ colli-

colligetur, tollaturque in crucem? aderunt panni velamen pudori dilecto meo. Quid si condatur in sepulcro? decumbet inter pannos. Quid si cælum petat? non hærebunt in monumento Angelorum manibus designandi. Cælum ipsum petent amoris manibus contexti. Æternate panni. Quid loquor cælũ? Bethleem mihi cælum, præsepe thronus, deliciæ fœnum, voluptas mea panni. Nolo cælum sine his pannis; nolo gaudia sine fasciis quibus stringitur dilectus meus. Et non dilectus meus cælum est? licet inter cunas, vbera, fugam, vincula, flagra, spinas, clauos, crucẽ, lanceam, monumentum, infernique adeò flammas; cælum tamen est, vbicumq; dilectus meus est: amo verbera, spinas, clauos, vulnera, crucem, quin & æternaturas flammas, si conditur flammis dilectus meus. Quid intentas pœnas? flagra & ignes, prunæ & liquatum plumbum, sulphu-

reus rogus, picata vestis, craticulæ, & inardentes tedæ, Babyloniæ fornaces, ora leonum, cælum mihi sunt, si in his fruar dilecto meo.

Ite regna, & quidquid terris cæloq; magnum; solæ mihi cunæ magnæ. Ite deliciæ & quidquid seculis optatum; nullam agnosco gloriam extra cunas, nullos honores extra stabulum. Ite gemmæ, omnibus draconum frontibus, piscium cerebris, concharum postulationibus decerptæ; & quidquid rupibus, fluminibus, mari ambitio piscatur de peregrinitate magnum; nihil mihi illustre extra præsepe. Ite purpura & coccus, & quidquid Seres docta nere docuere manu, quidquid Babylon ingeniosa pecti ne intexere, quidquid Tyrii tingere, quidquid insuere Phryges, quidquid Milesii tondere, quidquid muscosæ lanositatis in vestitum de lautoribus comitur conchis; procul hæc ingeniositas, quæ

non

non tantùm pangere & serere, sed & piscari docuit vestes, & concharum aluis incoquere lanas, quasi Deo à primordio excidisset purpureas & coccineas oues creare. Sordent hæc mihi, si cunarum pannos cogito, virginisque matris paupertinas fascias dilecto meo circumuestitas. Ite lecti quacumque aue è peregrino cælo fulti; & vos culcitræ quacumque mollitie fartæ. Ludite in orbem aurum gemmæque, & quidquid curiosa manus reperit in luxum, quidquid quocumq; sole docta fabricata est acus. Bethlehemi stabula, & inculta exesæ rupis laquearia, omnibus Assueri tentoriis, aërii, carbasini, hyacinthini coloris, sustentatis funibus byssinis atque purpureis, columnisq; fultis marmoreis, potiora sunt. Ite eiusdem Regis lectuli aurei & argentei, super smaragdino & Pario pauimento mira varietate picturato; fœnum dilecti mei omnib. his

deliciis, regioque in ostentationem fastu, nobilius gratiusque mihi est. Abi quidquid orbe magnum; stabulo includitur omne magnum. Ite opes, honores, regna; præsepi clauditur quidquid his maius est, quidquid illustrius: tanto omnibus nobilius, quanto æternatura perituris, cælestia terrestribus antestant. Tantùm æternùm hic fruar dilecto meo. Stabulum, præsepe, panni mihi, & ego illis. Dilectus meus inter illa mihi, & ego illi, qui pascitur inter vbera distenta lacte virgine; qui vtero clausus virgine, virgine ludit sinu; qui matre natus virgine, virgineo pendet collo, dulce pondus virgini matri.

Currite virgines. Virginea hic tecta sunt, nullo antè decorata partu, virgineum fœnum, præsepe, panni, fasciæque virgines. Virgo mater solo grauidanda Deo, ignara viri, nullius thori socia, Spir. sancto fœcundata, virgi-

virgine vtero, partu, vbere, lacte, æternùm virgo; virgo spõsus, solo patris nomine, virgineæ pudicitiæ comes & testis, nutritius dilecti mei, nec vltrà virgines deniq; sunt denũtiatorii spiritus: stabulumque totum virginem suam loquitur. Gratũ virginibus domicilium, vbi virgo mater & filius virgine cubant toro, virgine sponso custode, quidquid vbiq; virginum est virgine prouocãtes inuitatu, sponsione virgine, cui æternitatis adnexa corona est, virgineis inorata gemmis, virgineq; cultu, voto, manibus decorata. Properate virgines quæ dilecto sponsastis maturitatem vestram, in vnius sponsi vestri voluntatem concedentes: quas mille amat, de virginitate censentur, & nõ de ea sola? nam quæ illi maritantur, aut voluptatum seculi ignarę melioribus se seruarũt; aut voto iam tal- post damnationũ retrò titulos erasos prodactę saluti reformatæ, pœn-

tentia verrente & radente, castam casto Amori domum pararunt. Beatæ quæ virginitatis prærogatiua, dilecto desponsatæ, intactam virginem suam illi seruarunt.

Felices etiam, quæ post naufragam virginitatem repudium voluptati dicunt, secũdam castimoniam periculi memoria venerantes. Amo te stabulum regia mea, præsepe torus regius, panni cocco & tyrio nobiliores, fasciæ conchylio & purpura & quauis gemma radiantiores, fœnum omni strato & culcitra molli?. Deliciæ meæ stabulum, voluptas præsepe gaudium panni, lætitia fasciæ, iubilum fœnum. Quàm suauia matris oscula teneris impressa labris? quàm mollia dilecti basia virginis matris suauiantia genas? quàm dulcia matris vbera virgineo rore grauida? currite virginei fontes; & vos haurite labra patre Deo nata: exilite lactei roris virginei fontes, quos dile-

dilectus meus ore fugit virgine. trã-
filite vada, & infantiæ primæ labra,
vt è deciduo hoc virgineo rore vel ex-
tremis hisce labris amoris extinguã
sitim. Pluite fœcundæ nubes imbre
virgineo grauidæ, & arentia hæc ri-
gate corda, languentemq; & emar-
cidam amore mentem. Quid si vica-
ria suppon ã labra dilecte mi? da hoc
amori nostro. Beata dies! aut ab vnis
dum tu pẽdes virginis delicium ma-
tris, ne deneges vbera secunda. An
metuis ne exaresçant venæ? nemo
siccabit cælo plenas. Et non æterno
viuescunt musto cælorum vindemia
desudata, virgineq; torculari pressa
Sp. sancto calcatore?

Æternùm fluite mei fontes. O
quando inebriabor ab vberibus ge-
nitricis dilecti mei? quando respe-
gar medico hoc rore? quãdo innata-
bo hoc balneo virgineo nimbo de-
corato? quando immergar flumini-
bus virgine vbere deductis? quando

ô! totus lacteo proluat Oceano virgineo vberum fonte prognato, vt è virginis genitricis lacte, peccatorisque lacrymis, grata defluant dilecto balnea, miserationis vberum lacte pœnitentisque oculorum imbribus desudata? fundite gaudiales torrentes fluminaque oculi mei, quæ mista lacteis genitricis dilecti mei, virgineis fontibus, mare magnũ statuant, fortunatissimis dilecti mei velificationibus frequẽtandum. Nauiga hoc mare dilecte mi, vt & ego illi immergar totus, inebriatus tecum ab vberibus genitricis tui. Abi inuidia. mea sunt hæc vbera virgine partu plena. An non amãtium res vna, mens vna cor vnũ? & non ego & dilectus meus, vnus? vbera ergo illi⁹ mea sunt, genitrix mea est, vna iam matre & vberib⁹, sed & anima vni. Nolo duas, vna animamur anima. Corde spiramus vno. Ignorat amor discrimina. Bethlehem ergo meum est, præsepe meũ, fœnum,

fœnum, pãni, fasciæ meæ sunt. Bethlehemica mater & vbera mea sunt, deliciarum mearum mare magnum, fons inexhaustus, æternorum gaudiorum flumina irrigua, numquam fluxum positura. Fruar his æternùm mater mea; & fruar tecũ dilecte mi, socius iam vberum tuorum, adeoq; vnus iam tecũ: vt non iam vltrà ego, sed tu, & tu solus, felici in te totũ conmigratione, transmutatione. Sit æternùm. vt ignorata mihi alia omnia extra hæc vbera virgine partu & rore nobilitata; & te, virgine vtero, sinu, vbere, tamquam reportata ab hostibus victoria, exultantem, triumphãtem. Sequar triumphum, beatis permistus agminib. triumphatoris mei, è nobili Bethlehemico præsepi tamquam triumphali curru, ridentem & calcantem in pannis & fœno aurum, gemmas, diademata, sceptra, purpuram, imperia, & quidquid vbiq; inlustre & magnum. ô sequar pannis

fœnoq́; nobilem, cunis & matre virgine! ô & pascar manibus lacteq́; virgine! felix ô nimiùm dies! fortunata cælorum agmina, gloriam, cælo pacem denuntiantia terris! beata ô virgo mater virginei nati munere! quis mihi dabit aspectu hoc frui virgine? inuideo tibi præsepe meum, Bethlehem meum, tot vbique delitiis saturum. ô nullum prodigio huic secundum nullum cælo terrisq́; maius! vbera dum premit infans lacte plena virgine, vtero datus, fotus, natus virgine. Cui fortunata hæc incunabula rusticus decanto vates,

Virgo quem mater detulit,
Casto conclusit vtero:
Virgo quem mater protulit
Claustro donauit integro.
Sensit delapsum vtero
Natum quem intus fouerat:
Nil ab hoc passa filio
Qui caro carne creuerat.

Pannis

Pannis inuoluit paruulum,
Stringitq3 mater fascia
Concessum cælo filium,
Mundi qui soluit pretia.
Pro vinclo vincla retulit,
Pro claustro claustra reddidit;
Nouisq3 vinclis induit
Quem mundo recens edidit:
Fouens membra tenellula,
Dulciq3 lino vestiens:
Labrisq3 labra mellula,
Et genas genis imprimens.
Nunc dextra cingens virgine,
Nunc lacte pascens candido:
Nunc casto ludens lumine,
Nunc sinu fouens calido.
Mille configens osculis.
Hic fronti frontem implicans
Hic labra genis bellulis
Vultuq3 vultum duplicans.
Plus osculis ter dulcibus
Caput obnubens paruuli,
Plus basiis quàm vestibus
Corpus fouens tenelluli.

Nunc natum inter vbera
Casto ludentem pectore,
Cœlesti rore madida
Pascebat lacte virgine.
Nunc bina præbens vbera
Imbre cælesti rorida,
Nunc tantùm donans singula
Casto rubore florida.
Hic dextræ incumbit pendula,
Hic dulci sedet gremio.
Hic pendet collo gerula,
Cælesti plena genio.
Hic mater sinu confouet
Submissæ mentis pretium:
Hic labra genis admouet,
Casti pudoris præmium.
Hic natus labris imprimit
Pudicæ matris oscula,
Hic gen- genis comprimit
Reddens amica basia.
Hic mater natum pectore,
Fronte stringit & oculo,
Mollique fouet vbere
Tamquam feruente soculo.

Hic

Hic natus manu tenera
Oreq; suo masculo
Ludebat inter vbera,
Pectus constri. gens osculo.
Hic mater genas manibus
Et colli nuda basiis
Premit decoris nexibus,
Et osculis virgineis.
Hic natus manu blandula
Blando latoq; vertici
Matris in errans tenera
Errore ludit vnici.
Felices inter basia
Nati nexus purpurei;
Felices inter vbera
Matris nexus virginei.

O quando iis castis donabor cunarum nexibus? quando donabor vbere lacteque virgine? quando fasciis, primæque infantiæ votiuis pannis, quibus testatum inuoluam amorem pectori reconditū, dilecto meo sociandum, cōnubioq; firmandum felici stabiliq;? quando osculis den-

sabo

fabo pedes, manusq; purpurabo basiis? quando stringam brachia colliq́ue nuda amplexibus? quãdo frontem amoris signabo notis? quando, ô liceat! genas genis, labraq́ue adnectam labris? Dies, ô nimiùm felix, tot optata votis. Fortunatum stabulum, in quo

Dulce collo pendens pondus,
Ludit inter basia;
Onus leue cui mundus
Matre ridet socia.
Cantat mater, ridet natus,
Cantat Ieseph paruulo.
Sola virgine prognatus
Collatatur gerulo.
Cantant Angeli ludentem
Matris in amplexibus,
Et Ioseph o corridentem
In diuinis nexibus.
Læti concinunt pastores
Nouo terris Domino,
Spargunt melos spargunt flores
Dulci mentis iubilo.

Nobis

Nobis natus, nobis datus
Ex intacta virgine;
Cælo datus, mundo datus,
Christus natus hodie.
Exultemus & lætemur
In chordis & organo:
Alternantes collætemur
In tubis & tympano,
In fistulis & cymbalis
Benesonantibus,
In lituis & buccinis
Clarè tonantibus.
Plaudant silua, plaudant prata;
Læta plaudant nemora;
Et quæcumq; campis nata;
Plaudant nato flumina,
Plaudant valles, plaudant montes,
Frondes, flores, gramina,
Plaudant rupes & torrentes
Nato plaudant omnia.

Plaudat & anima mea dilecto meo, Christo meo. Plaudat pro regia stabulo, præsepi pro toro regio, pannis fœnoq; pro purpura & molli strato:

læti-

lætitiaque exultans perfundat Bethlehem gaudialibus lacrymis torrente fusis, quibus tamquam odoratis balneis innatet cunis natantibus dilectus meus; ludatq; vt in amico gratoque sibi flumine. Properate lacrymæ dilecto saturandæ, & illo solo. Soluite cataractas oculi mei, & amicos laxate sinus dilecto meo, non iam mœroris aut luctuum, in delinquentiæ pœnam; sed lætitiæ & iubilationis, in amoris testationem. Nec satis mihi cunas hoc oculorũ meorum imbre natare. Nata Bethlehem, vt cingaris votiuo hoc flumine, quò amico circumstagnata amne arceas à te quidquid aliud quàm amore sapit, quidquid hostile tristéve redolet, quidquid alienum à casto præsepi tuo; à quo exulat omnis mœror, omnis lachryma aliorsum quàm ad dilectum fusa, quàm illi casto sacramento dicata. Illo enim solo ductore auctoreque cadunt non pœnitenda

tenda flumina, illo solo duce saliunt fontes felici æternitate donandi. Dona hos mihi, & bea hoc me munere dilecte mi, vt beatis his fontibus dices, noua semper tibi veterib⁹ adnectat anima mea iubilationis cantica, mista lętabundis oculorum fluminibus; exemplo veteribus olim decantati prodigiosi fontis, qui quietus & tranquillus, dum siletur; si insonuerint tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & quasi miretur dulcedinẽ vocis, vltra margines intumescit: ita oculorum meorum beatiores fontes, quieti ac sine Bethlehemica musica tua languidi ac mortuis similes, vbi insonuerit vox tua dulcis, oraq́; decora nimis, præsepio clausa, admirabundi, & seipsis iam maiores, non transiliant aggeres, vadaque, sed totum illud spatium qua pluitur, qua ningitur, qua fulminatur, ipsumque transcendant æthera, super cæli fastigia, dilecto suo iungendi. Quin adeò

naui-

nauigent hæc animæ meę celeusmata decãtata tibi, tamquam fortunatæ scaphæ in grato hoc tibi oculorum Oceano, suspiriis tamquam remisactæ; votiuisque amorum votis, tamquam expansis latè velis, secundo prosperoque fauonio tuo impulsæ, donec ad alterius meliorisque æui portum felix nauclerus exscendero: in quo extra omnẽ inimicam tempestatem, hostilemque fluctuum iactationem positus, æternùm canam, iungarque æternùm tibi; tanto beatior, quanto plus hîc fontium sparserint oculi tibi, quanto plus profuderint fluminum imbriumque tibi, felici æternitate donandi, beandi.

CAP. VII.

Votum Christo dormienti.

DOrmi fili, dormi, mater
Cantat vnigenito.

Dormi

Dormi puer, dormi, pater
Nato clamat paruulo.
Lectum straui tibi soli,
Dormi nate bellule.
Straui lectum fœno molli,
Dormi mi animule.
Dormi decus & corona,
Dormi nectar lacteum.
Dormi, mater dabo dona,
Dabo fauum melleum.
Dormi sapor & dulcedo,
Dormi mea gloria.
Quidquid, vis en tibi cedo,
Inter hæc præsepia.
Dormi rosa, dormi laurus,
Dormi matris viola.
Dormi meus rosmarinus,
Matris inter lilia.
Dormi meus verus honor,
Mille dabo suauia:
Castæ matris verus olor,
Mille dabo basia.
Dormi mel dulcoris merum,
Dormi meum vinulum.

Dormi recens meum mulsum,
Dormi nectar cœlicum.
Dormi nate mi mellite,
Dormi plene sacchare.
Dormi vita meæ vitæ,
Casto natus vtero.
Dormi cœli musto plene,
Dormi plenus nectare.
Dormi, dormi, & dormi bene,
Dulci canam murmure.
Quidquid optas volo dare,
Dormi parue puppule.
Dormi fili, dormi carę
Matris deliciolę.
Dormi meę spes & salus,
Dormi patris gaudium.
Dormi cor & meus thronus,
Dormi matris iubilum.
Dormi fili, dulce mater
Dulce melos concinam.
Dormi nate, suaue mater
Suaue carmen accinam.
Ne quid desit, sternam rosis.
Sternam fœnum violis;

Pani-

Pauimentum hyacinthis,
Et præsepe liliis.
Si vis musicam, Pastores
Conuocabo protinus.
Illis nulli sunt priores,
Nemo canit castius.
O vos omnes qui transitis,
Qui videtis,
Qui gaudetis,
Cantate paruulo
Formosulo,
Cantate puppulo
Tenellulo,
In citharis,
In cymbalis,
In fistulis
Bene-sonantibus.
Cantate Domino
In buccinis,
In tympanis,
In organis
Bene-tonantibus.

Hæc dilecto suo meoq;, vnigenitoque suo virgo decantat mater, dum amorem

amorem suum meumq; sinu fouet, vbereq; lactat virgine; amicumque lassæ naturæ solatium, soporem apprecatur. Dulcis somnus in amati sinu; suauis somnus pendentis ab vbere, dum virgine lacte plenus inamica procumbit vbera molles pulsillos. Grata virgini matri sarcina, optatum vtero pondus, dum inter somni delicias, oculorumque noctes, genitricis purpurantur vbera dilecti irrorata labris. Quis mihi tribuat inter maternas modulationes, dilecto frui, osculisq; teneras fatigare plantas, vt amoris basiis incalescat dilectꝰ meus? addam hic peccatoris vota. Botrus Cypri dilecte mi inter vbera genitricis tuæ dormi. Dormi fons hortorum meorum, puteus aquarũ viuentium quæ fluunt de Libano. caput tuum sicut aurum optimum, oculi tui sicut columbę virgineo lacte lotæ, genæ tuę sicut areola aromatũ, labia tua distillantia myrrham primam,

mam, collum tuum ſicut monilia, manus tuæ tornatiles aureæ: talis es, dilecte mi, inter vbera matris tuę, tãquam aurora conſurgens, pulcer vt luna, electus vt ſol. Tantùm dormi dilecte mi, dormi flos decoris mei, laurus mea, viola mea dormi; dormi mea roſa, lilium meum, decus & gloria mea, honor & corona capitis mei dormi; dormi dulce melos meũ, gaudium meum, canticum & cordis mei iubilũ dormi mea muſica, pſalterium & cithara mea dormi; dormi columba mea, & decoris mei turtur vnice dormi; dormi dilecte mi, dilecte ex millibus dormi inter vbera dilectæ matris tuæ dilectæ ex millibus dormi.

Non prouoco nunc ad præſepe. molliora ſunt vbera matris. Non prouoco ad cunas; ſuaui⁹ in virgineo decũbis ſinu. ô ſi pro præſepio & fœno, cor peccatricis hui⁹ animę deligeres! dura præſepia, aſperum fœnũ; durius pecca-

peccatoris cor est. Sed non illud aduentu tuo, somno tuo, omni plumeo puluillo mollescat teneriùs? quid vis? virgineum pectus in quo virginum amator, virgineo recumbas somno? cor castum, in quo castitatis amator casta trahas suspiria? Quid nouum, castum casto delectari pectore? magnum erit, ex non puro, non casto, castum purumque dare. Tu solus potes casti donator muneris. Et non tam suaues olim mollesque inter non casta Magdalenæ tuæ vbera, ac inter casta Marthæ tuæ somnos duxisti? quot non ante castas casto iunxisti fœdere? quod aliquando non castas æterno tibi iunxisti connubio, & adamasti quas feceras castas? aut nõ suauior tibi puluillus, Augustini tui antè nõ castum cor, multorum castorum semper quid quæris Amor meus? animas innocentes, & peccatorum ignaras? pro innocentibus an pro nocenti-

bus

bus procumbis fœno? an in Bethlehem stabulasti pro iustis, vinculis arctatus, crucique; post verbera & coronam spineam affixus pro iustis? an magis pro peccatoribus & inimicis? quid ergo excludor beneficio tuo? aut quid contemnis munera peccatoris? ast ego aliud nullũ habeo maius, quàm vt cor hoc peccatis, tamquam incude & malleis lentatum, pro somniculi puluillo offeram tibi: vt quod circumstagnatur sceleribus tamquam Oceano, in molles tibi succrescat cunas, quibus indormias amore ebrius. Nec deerit musica somni prouocatoria; sed viduatæ turturis musica, pœnitentiæ lacrymis tamquam rore diluta. Magdalenæ tuæ musica molli capillari spongiâ delinienda, fœcundoque oculorum imbre riganda; cui innatent cunæ tuæ, ne qua inimica manus, inter somni delicias, furtim abripiat quem diligit anima mea. Non deerit mu-

Luc.22. sica Petri tui, cùm *egressus foras fleuit amarè.* Non deerit de cruce pendentis latronis, *Nos quidem iustè, nã digna*
Luc.23. *factis recipimus. Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Non deerit Publicani harmonia post pectoris tunsiones, post oculorũ deiectio-
Luc.18. nes, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Non deerit spirans minarum Sau-
Act.9. lus, *Domine quid me vis facere?* non deerit filius prodigus siliquis pastus, *Pa-*
Luc.15. *ter, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.*

Et licet non adferam conatum Agathæ aut Agnetis, ore tereti semihiantibus in canatu labellis cantum eliquantium; non Catharinæ aut Theclæ, omnis voculæ melleam modulationem; nõ Luciæ aut Christianæ omnimodis peritam modificationem; non Domitillæ aut Cæciliæ concentum varium, non Martyrum bellicosum, Confessorum religiosum

gioſum, Anachoretarum querulum innocentum ſimplicem; adfero tamen ſeriam pœnitentis muſicam, omni tubæ rudore tenuiorem, omni liræ concentu variatiorẽ, omni tibię queſtu delectabiliorem, omni fiſtulę ſuſurro iucundiorem; maiore tamẽ voluntate quàm facultate. Verùm cùm in maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc, vindicẽtur, cruenta mente pura manu: non pariaà te præmia ſperem in conatu bono? nam ſicut ad pœnam ſufficit meditari punienda; ita ad laudem ſatis eſſe debeat conari præmianda, ac prædicanda; maximè apud te qui ſcrutaris corda & renes, quiq; merita voluntate meritis. Adfero proinde peccatorum muſicam mœ orib. licet plenam, non ingratam tamen tibi: pro talibus enim maduerunt cunæ, virginea fluxerunt vbera matris, patuerunt pedes, manus, latus, corpus reliquum.

Ne auersare hanc musicam, de qua illud lego apud Prophetam tuũ,

Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor.* Memor dicti illius tui, *Ita*

Luc. 15. *gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Vt iam ausim dicere, fi'us promissorio hoc verbo tuo: gratiora tibi flumina Magdalenę potenti impulsu tuo excussa, quàm non vnius virginis stillicidia lentè manantia. Has peccantis animæ lacrymas libo sacroque tibi. Hos etiam sudores, mœroribus tamquam torcularibus expressos, purpureosq; fontes è mediis animi quondam mei saxis scaturientes, manuque tua tamquam altera Moysis virga eductos, æternùm dico tibi. Suscipe tantùm amor meus hæc libamina, si non innocuo corde, dolenti tamen, pœnitenti, altumque

tumque ingemiscenti oblata, vt aliquando tandem fiam *vas in honorem sanctificatum Domino*, qui fueram vas *iræ in interitum*; vt ostendas diuitias gloriæ, in vas misericordiæ, quod præparasti ad gloriam, & nunc in Bethlehemicam gloriam tuam; vt præsepe fiam sanctificatum, Domino, regique meo, in honorem; cui indormiat dilectus meus, cubetque non in meridie tantùm, sed noctibus ac diebus totis, nullo in æternùm seculorum fine. Gratus somnus, in cuius medio cor vigilat, fruiturque dilecto suo, tamquam inter vbera matris. ô fruar! & fruar æternùm amico hoc Amoris somno! ille in hoc pectore, ego in illius sinu, æterna felici cubatione, requie æterna! quam nulla nouercalis aut inimica turbet manus, nulla inuida aut æmula dextera, nullum pectus odio grauidum. Sed in æternum perennatura firmet pace, æterno amico so-

2. Tim. 2.

piat somno, qui solus potest Amor meus.

CAP. VIII.

Ad Pastores Angelo doctos.

Luc. 2. *PAstores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Vigilantibus nimirum iura subueniunt: auersatur Dominus dormientes & tepentes. Quos & euomit tamquam nauseantis stomachi vomitum: non quòd omnem excludat somnum: amat somnum, sed vigilãtis somnum cordis. Cùm inter amicas Deo cogitatio-

tationes cadunt sopori lumina, iacetq; prostratum corpus naturæ cedens. Quale ante animam collatam, aut illa erepta; & mens tamen intus vigilat, densisque gemitibus per interualla cum Xauerio currentibus, altisque suspiriis ex imo ductis testatur amorem suum pectore clausum. Felix sopor, & qualem voueam huic corpori, cùm mens amoris vino sepulta, ebria deructat verba amoris sui torcularibus sudata. Cùm fractis hinc inde vocibus, & tam quam sopore collisis, amorem loquitur. Inde per amica silentia hæret cunctabunda, donec redeant amoris verba mixta suspiri's, pleno iam pectore iaculata. Felix corporum quies dum in amoris nemore horroque ludens anima, pascitur inter lilia. Felix quies, dum educta amoris manibus anima hic lætos inambulat campos amoris manibus consitos, ibi proluitur flumine amoris fontibus nato, alibi

ducitur in penuarium amoris vino inebrianda, sed & mensis admouetur saturanda. ô corpus! quousque teneor his vinculis? quousque non æterno illideris sopore, vt introducar in cellas promas dilecti mei, in cubiculum genitricis illius: fallor, si non & ad vbera dilecti mei, memor illorum super vinum, vt curram in odorem vnguentorum eius. Oleum enim effusum nomen illius: ideo adolescentulæ dilexerunt eum. Et non ego ex adolescentibus vnus, vt sedeam sub vmbra illius? *fructus eius dulcis gutturi meo.* Vt postquam introduxerit me in cellam vinariam, exclamem, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Donec audiam tot suspiriis exspectatã dilecti mei vocẽ, *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iã enim hyems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra. Surge amica mea, speciosa mea & veni.* Gratus ô somnus

Cant. 2.

somnus animæ, cùm erumpit in has voces, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Dies nimirùm illa Domini Sabaoth magna, dies gaudii & lætitiæ, post quam iam nullus, ac ne corpori quidem, somnus. Sed excubantis amoris vigiliæ æternæ. Gratus somnus dum liceat illud dilecti mei: *Ego dormio & cor meum vigilat*, donec iterum insonet auribus vox dilecti mei amoris impatientia victi & pulsantis. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Ecce ego dilecte mi. Nam & *anima mea liquefacta est, vt locutus* es mihi. Surgo & aperio. Ingredere dilecte votorum meorum, & nullus iam vltrà sopor. Vt loquar cum pastoribus tuis, *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus osten-* Cant. 5. Luc. 2.

dit nobis, & inueniam *Mariam & Ioseph & infantem positum in præsepio*: cùm audiero multitudinem *militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium*, *Gloria in altißimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Transiui & iam teneo Bethlehem cælestibus sponsionibus grauidam. Video verbum carnem factum. Gaude mea anima. Nam quis caperet verbum si maneret verbum? caro ergo factum est verbum, ne exularet hæc caro mea à verbo. Amo te meum verbum, magis quia caro factum es. Nam quis te speraret cùm in excelsis habitares? imò quis non desperaret cùm in sinu decumberes Patris? inaccessa hæc via carni est. Carnem induere placuit, vestiri carne, vt viderent *oculi mei salutare tuum*, vt tangerent manus meæ carnem de carne mea. Factum, & vidi, & repleta est anima mea gaudio, & exultauit vt gigas ad currendam amoris viam. ô fruar illa

inter

inter vbera genitricis meæ, in sinu dilectæ matris meæ, inter amica brachia virginis matris Amoris mei magni, verbi magni; virgine carne & sanguine vestiti, virgine lacte & vberibus foti. Nolo verbum nisi vestitũ hac carne. Nam quò mihi post primorum parẽtum delictum primordiale, sine carne verbum? frustra stabat cælum carni, nisi carnem indueret verbum. Induit. & iam reseratum cælum carni. Amo te mea caro, quæ vestisti verbum, sine qua nequidquã gloria, aut sperari delitiæ poterant cæli. Cælo suus honos, voluptas sua, decus suum, delitiæ stabant suæ. Mihi quid præter tribulos & spinas, sudores & lamenta, & væ natis reliquum erat? exulabam cælo exilio æterno, & irritæ cadebant lachrimæ, suspiria, vota. Non si maria sudissent oculi, & præter primogenium, peccatum nullum. Transiet iam in traducem, & de peccatrice

trice carne peccatricem traxeram carnem, nullis fletibus piandam, nullis eluendam. Ergo perieram, & perieram æternùm, dãnationis & mortis in primo parente sententia percussus. Induit verbum carnem, & derasi tot tituli mortis alieni & mei. Et hæres iam facta caro, est ascripta cælo. Cùm enim antè clausum stetisset carni cælum, verboque iuncta caro penetrasset cælum; reclusum carni cælum fuit, vt hæreditario nunc iure debeatur carni cælum, cùm caro de carne mea, fractis tot seculorum repagulis, reseratis tot ętatum claustris, transcenderit cælos; vt fierent iam cæli tamquam ab intestato possessio carnis, qui excluserant carnem. Hãc carnem nõ amem caro? amo in verbo carnem, amo in virgine carnem. Nam nisi à virgine hac carne mutuaretur verbum carnẽ, vtero clauderetur virgine, nasceretur virgine, vbereque lacteque pasceretur virgine,

ne, non haberem carnem de carne mea. Amo te ergo caro mea, & in virgine matre amo te caro mea, in virgineo sanguine, vbere, lacte amo te caro mea: eoque magis mea, quò magis non de alieno, sed de meo peccatrix hæc caro mea, ignibus destinabatur æternis, tot nominibus æternis.

Salue ô mea salus, vita mea. Quid reponam pro hac vita? inuestis & nudus ego. Et iam in Paradiso didiceram erubescere innocentia occisa, exinde folia vestis pudori tegendo, accesserant scelera mea, & excussus pudor nudam ostantabant verecundiam; nisi illum credam vestiri, qui sceleribus integitur, & densè vestiri, qui densè integitur. Plus proinde vestiri qui densiùs integitur. Verùm quò mihi hęc vestis è sceleribus contexta? nolo hanc vestem, & tu auersaris hãc vestem. Nec quidquam mihi tamen reliquum extra hanc

vestem.

vestem. Hanc ergo pedibus subster-
no calcandam tuis, præsepi tuo, fœ-
no tuo; addo voluntatem bonam,
cui per cælestem militiam denun-
ciasti pacem. Nec aliud habeo præ-
ter hanc voluntatem, & illam dono
tuo, munere habeo tuo. reddo à quo
accepi, graui vulnere sauciam, sed a-
moris tui cuspide & telo. Perge fe-
rire, vt ego pergam amare, coque ar-
dentiùs amare, quo fodies altiùs. Fo-
de amor meus, caro mea. Ne parce;
seca, diuide. Bibat tuum ferrũ quid-
quid hic sanguinis abditum latet fi-
bris. Bibat verbi tui spõgia caro tua,
caro iam mea, quidquid hic liquoris;
vt & tu bibas, exsatieris & inebrieris
hoc amoris tui poculo amor meus.
Beatus si secaueris, si ebiberis. Nec
quidquam vltrà mei; tua sint omnia
præsepi substernenda tuo, magis et-
iam tibi; vt pro molli fœno, mollior
hæc voluntas, immaculatus fiat to-
rus, lectus, cunæ, panni tibi; quibus

pro-

procumbas, à vulneribus amoris tui gaudio plenus, dum fuges ibi vbera virginis matris, hic vulnera amantis animæ: ibi virgineo pasceris lacte, cælo irrorante; hic fœcundis peccatricis animæ lacrymis, cęlo prouocãte: ibi tenellæ matris diuite rore, hic amantis animæ purpureo potaberis liquore: vt munere ego tuo diues, munere tu meo plenus, vtrimq; satiemur & inebriemur fortunata in omnem æternitatem propinatione, felici haustu; vt nec satietati fastidiũ copia pariat, nec in tam locuplete copia desit, quod nouè hauriatur, æterno semper haustu, largitione æterna, quam nulla minuat dies, currentibus vtrimq; donis, prosperoq; in æternùm fluxu, dum & tu & ego æternùm mutuò propinabimus in hac amoris cella, hauriemus æternùm.

CAP.

CAPVT IX.

Ad Circumcisionem Domini.

Luc. 2. *POstquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius* IESVS: *quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero concipereturr.* Quò ruis Amor? & ad quæ non cogis amantem? non satis expleuerat amorem, qui amoris impulsu cælorum gaudia posthabuerat amori? paternæ immemor dignationis, dignitatisque suæ? quid fecerat homo tantis largitionibus dignum? aut quo magni in se Patris prouocaret amorem magnum? scelera video: & immanium ferarum more, quæ plus mordent quàm esuriunt, plus fundunt quàm sitiunt, & propter sanguinem ad sanguinem eunt; scelera sceleribus innectuntur: quasi iam non ad voluptatẽ, sed aut ad barbaram ostentationem, aut in odiorum

prouo-

prouocationem, aut in contemptum vetantis & minitantis Dei scelera iaculemur, quibus tamquam saxis mutuo impositis Babylon exsurgat noua, cælum per scelera petituris. Viuet omnium omnino gẽtium vernaculis calamis Neruia gens, non alia magis admiratione, quàm cùm cæsis suorum corporibus tamquam gradibus superstantes, faciliori in hostem procurrunt aditu, sanguine suorum tamquam tubis & tympanis in inimicum sanguinem exciti, quasi per suorum, in hostium irent cædes. Nouum pugnæ genus, cùm per cadauera suorum hostem lacessunt, hostem petunt. Ita etiam mortui viuentibus auxilio sunt, & quos non possunt ferro, cadauerum tuentur obiectu. Iuuat nimirum per fratrum patrumque corpora hostem impetere, iuuat cadaueribus tamquam auxiliaribus copiis in hostem ire, nusquam glorioſiùs quàm de

suo-

suorum corporibus pugnaturi, nul
quam glorioſiùs caſuri. Idem in di
pari nō dicam generoſitate; ſed bar
bara immanitate, barbarus conatu
hominis, dum ſcelera ſceleribus im
ponit; quibus tamquam gradibu
creſcat in maius, præualidum quem
his conſtructum aggerem tamquam
propugnaculū diuinis opponat co
piis, pugnaturus ex his & cælum pe
titurus: vt iam animus illi creſcat
ſceleribus, coq; ſe quiſq; arbitretur
tutiorem, quo maiori ſcelerum mo
le tamquam rupiū per anguſtias ob
iectu tegitur, ne quis aditus patea
diuinæ colluſtrationi; eoq; iam futu
rus certior, quaſi in tutum reductus
quo immanioribus ſceleribus, pro
nam in benignitatem diuinam ex
cluſerit clementiam, veniæ nimirum
ſpe ſemel excluſa. Quod ciuilium
bellorum incentoribus ſolemne eſt,
quo tutiorem ſibi per ſcelera ad ſce
lera aditum parent.

Eram

Erant hæc humanarum cogitationum fatua molimina, quo minus sperare aut poterant aut volebant clementiæ diuinæ symbola. Quæ eo depulerant potentiùs, quo validioribus se cinxerant scelerib⁹; nullum finem facturi, nisi aut gigãtum more fulmine improbitas deineretur, aut igneo imbre sulphurcque & pice natarent, aut subducta terra pedibus latam ruinam daret. Nec desistit interim clemens Deus tot licet irritatus modis, & in flammas & sulphura prouocatus, beneficia beneficiis innectere; vt quò plus scelerum, plus esset & beneficiorum, & si è scelerib⁹ tamquam aggere pugnaret homo, è beneficiis tamquam montibus improbitatem oppugnaret Deus. Crederes scelera prouocare beneficia, maioribusque maiora parari; vt qui terroribus vinci non posset, beneficiis vinceretur. Et omnia iam experta diuina bonitas

benefi-

beneficiorum erat genera, exhau
rat clementiæ pharetram, irritoq
tot iacula ceciderant conatu. N
cedebat improbitas occallata;&q
iam ferrum&chalybem vincerete
ritia, aſpernaretur q; omnem gra
diuinæ cuſpidem. Quid faceret?
rumné ad diluuia & vindices ire
quas; aut ſummum pœnarum ig
fornacibusque ſæuiret ardentib
aut vna purgatrice flamma ſcel
expiaret? aut vna potentiæ ſuæ fa
demeteret hæc zizania ignibus
ta? aut vno æternitatis ſuæ gladio
nus omne tamquam vnam præſc
deret ceruicem? aut tamquam v
deiugularet gutture? perdere
promptum paratumq; ie fuerat,
uare volebat. Quid faceret poſ
mnia tentata benignitatis arma?
num ſupererat prodigi amoris ia
lum ad extrema ſeruatum, extre
malis remedium extremum. Ar
res, & quæ etiam Angelorum tra

cen

cender
tandun
piandis
leribus
med a
biquef
dus ho
bus ſa
neribus
fuſo ſa
delumb
ra virib
nec po
iuſtitiæ
leges p
rum, ſa
dus erg
ri daret
ninæ p
tationc
vnusqu
virtute
parian
huic d

cenderet fidem. Experiri placuit. Litandum erat diuinæ iustitiæ, & expiandis non tam medicamenta sceleribus, quàm iustitiæ explendæ remedia quærebantur. Altum hic vbique silentium. Quis expleret? nudus homo non poterat, tot sceleribus saucius, hiantibus immanè vulneribus, tantoque per crimina profuso sanguine, demedullato robore, delumbatis ac deneruatis per scelera viribus, minus etiam poterat. Sed nec poterat nudus Deus. Qui nec iustitiæ nec vindictæ in se experiri leges poterat, meritorum, præmiorum, satisdationis expers. Inueniendus ergo erat qui dignationem operi daret sceleribus parem, iustitiæ diuinæ parem. Frustra hæ ibant cogitationes, nisi accederet homini Deo, vnusque iam esset homo Deus, qui virtutem influeret diuinæ iustitiæ pariandam. Factum. Et consilio huic delecta quæ virgo & mater esset,

esset, quæ ignara viri, sola Spiri
sancti connubiali, vt ita dicam, de
tera, virgo, mater fieret Dei. Virgi
vtero conciperet, virgine diuina
hanc sobolem redderet; factum
dimus. Et iam natus homo Deus
stitiæ explere iura poterat. Erat ho
satis iustitiæ. Non erat satis amo
decurrendum fuit ad sanguine
Quid necessum ad illum? non re
quis virtutum actionibus iusti
persolui iura poterant, nisi ire
ad sanguinem? eundem amori er
Nescit amor modum. Et vt expl
set iustitiæ leges, quomodo expl
ret amoris, si quæ posset amor, l
giri negaret amor? Iam quid illu
suaserat homine vestire Deum,
non amor? imperia ergo hæc amo
sunt, & amoris tantùm. Iam si am
ris imperia, quomodo non se pr
funderet amor in quidquid erat
moris, non extenderet in omne
lius fines? parcere non didicit am

ignot
quan
digus
tùm,
radat
dum
exspe
bus m
tumil
ribus
nis, &
In om
placu
Ha
homi
mori.
cumc
tur an
nõ or
bię pl
sunt:
guine
uo di
q̃d vi

ignorat auaras manus, nec quidquam celat amantem. Adeoq; prodigus omnis amor est, nec sua tantùm, sed seipsum erogat amato, plura daturus, si plura possideret. Eundum ergo ad sanguinem fuit. Nec exspectanda grandior ætas vulneribus magis nata, quasi in expiamentum illius ætatis. Omnis ætas sceleribus tenebatur, propriis aut alienis, & his etiam per traducem suis. In omni proinde ætate litare iustitiæ placuit.

Habebamus iam è matre virgine hominem Deum. Non satis fuit amori. Itur ad cultros, & octauo circumciditur die, vt sanguine testaretur amorem. Non poterat calamo, nõ ore inter infantiæ pannos? at dubię plurimùm hę amoris testationes sunt: sanguis mentiri nõ potest. Sanguine ergo testari voluit. Fecit octauo die, ne lõgior mora detraxisse aliq̃d videretur amori, & inimica amo-

ri

ri mora est. Exerit se, & qua data porta ruit impatiens moræ: adeoque nimiæ impatiens prudentiæ. Vt aliquid etiam dementiæ videatur permistum amori, dum nimis prodigè se diffundit in amatum. Quis mihi largiatur hanc dementiam, sed cælestis dementiam amoris, quæ fami plurimùm terris audit, sed cælo prudens? hæc illa est; qua stulta mundi elegit Deus, vt confunderet prudentiam; quaque sanguinem octauo die fudit, cùm posset parcere; qua inimicos dilexit, delegit crucem, flagra, spinas, sputa, clauos, lanceam. Quis sæculi prudentia non rideat hunc amorem, & exclamet, Quousque fatuus amor? quis odio carnem suam habuit, vt parceret alteri? quis sanguine suo medetur alteri? vitamque quis prudens suam postposuit alteri? veniunt hæc de sæculi prudentia de diuinitatis æmulatore à primordio mendaci. Eadem insonat virginibus

nibus, Quid maturitatem vestram sacratis Deo, posteritatis hostes? aut sobolem negatis terris? quid viduas ducitis noctes soli Deo maritatæ, spemq; parentum in negata progenie fallitis? eadem Martyribus. Quousque per ignes & tormenta, & tot carnificum ingenia sanguinem funditis? quid iuuat flammas alere secãdaq; præbere viscera, aut lento torreri igne, milleque mortibus vitam finire? nihil hic opus longa elegantium doctorumque verborum circumductione, duobus expediri verbis quæstio hæc omnis potest. Amor fecit. Amoris proinde hæc consilia sunt. Damna, si audes, quia amas. Si non amas, quid ignorata damnas? at nescit quid sit amor, qui non amat. Solus amorem nouit omnis amans. Amantem ergo consule tamquam amoris expertum, & scientiæ huius artificem peritum. Ille dicit, nullam esse voluptatem maiorem voluptatis

contemptu, nullam feliciorem sobolem quàm virgine matre natam, cælo exulare nuptias, fortunatissima esse connubia virginis & Dei, nihilque fœcundius virgine Deo marita-
Gal. 4. ta. Hinc illud, *Lætare sterilis quæ non*
Esa. 54. *paris, erumpe & clama quæ non parturis. Quia multi filii desertæ magis quàm eius quæ habet virum.* Nullasq; viduas esse noctes Deo sociatas; nullas epulas ignibus, nullas fornacibus delicias suauiores; nullas rosas prunis calcari mollius; nullam vitam morib. chariorem; nullis victoriis maiores triumphos parari; plusq; victoriarum in vno martyris sanguine, quàm in Luculli, Marii, Syllæ, Pompeii, Cæsaris, Alexandri, Hannibalis barbara sanguinum profusione, cùm & maria tingerentur sanguine, & flumina cadaueribus starent, & calcanda se præberent victori.

Hæc qui non intelligit non amat intelligeret, si amaret. Intellexerunt virgi-

virgines & martyres, & sequuti sunt amorem, & præmia tulerunt amoris. Intellexerunt illi, qui, Apostolo teste, *Ludibria & verbera experti, vinc-* Hebr. *ula & carceres, lapidati sunt, secti sunt,* 11. *tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Et retulerunt amoris sui præmia nullo æuo finienda, nullo minuenda. Imitati magnum Amorem suum, qui natiuitatis octauum diem sanguine suo in amantium prouocamentum & incitationem signare voluit, ne aberraret amans aliorsum, certus nunc de via quam Amoris sui purpura signatam videret. Nomenque accepit in hac die magnum.

Nec aliud nomen est sub cælo datum Act. 4. *hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Magnum nomen nobili hodie

purpura tinctum, quam nulla in omnem ætatem vetustas eluet. Vt amorem hac die suum firmauerit Amor noster magno IESV sui nomine, magno sanguine. Vt nullum iam de amore oriri aut moueri dubiũ possit, cùm illum & nomine, & pro atramento, sanguine signauerit suo Amor noster.

Accipe, animę gaudio iam plenę, hanc obligatoriam syngraphamAmoris tui, qua amorem suum nomine sanguineque suo tamquam testibus firmauit. Fraus his subesse nulla potest. Nimis testata documenta habes magno vt nomine, ita & sanguine roborata. Et gaude nunc tanto felix nomine. Insonet illud auribus, cordi, pectori. Nec vlla te reperiat dies, nox nulla, hora nulla hoc nomine viduatum. Amas dulcedinem? super mel & fauum dulce est, *Fauus* enim *distillans labia* eius, *mel & lac sub lingua* eius. Amas odorem? fragrat vnguen-

Cant. 4.

vnguentis optimis. hinc illud, *Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Odor enim *vnguentorum tuorum super omnia aromata*, Amas vina? audi votiuo huius potu inardentem, *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum*: audi inuitantem, *Bibite & inebriamini carissimi.* Et illud: *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Dilectæ forma? habes iam antè decantatam, *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Vis loquentem? imitare sponsam, *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Et, *anima mea liquefacta est, vt loquutus est.* Vis robore plenum? *turris fortissima nomen Domini, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vis omnis eruditionis thesaurum? audi Apostolum, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ*

Cant. 1.
Cant. 4.
Cant. 1.
Cant. 5.
Cant. 8.
Cant. 5.
Cant. 2.
Cant. 5.
Pro. 18.
Cant. 4.
Col. 2.

& scientiæ absconditi. Vis gloria primum? *Donauit illi nomen* Deus, *quod*
Phil. 2. *est super omne nomẽ, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestiũ, terrestrium, & infernorum.* Vis illum similem tui?
Rom. 8 misit *Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*: & peccati tamen ex-
1. Pet 2 pertem, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Pro nostris verò patientem, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Vis mi-
Heb. 4. serantem? *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia prosimilitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.* Quid vis denique? omnia si vis, omnia in hoc nomine habes. Plusq; habes, quàm vouere possis, aut audeas. Aude. Maiora impetrabis. Quoque plura concesserit, plura nusquam irrito

voto concedenda sperabis. Tantùm aude anime. Manum ad magna porrige. Nil nomine hoc maius est. Totum posside. Tibi enim nomen illud stetit, tibi fluxit hodie hic sanguis. Fruere. Et amplectere hoc nomen. Ardeat hoc inclusum pectori, & longè etiam lateq; diffundat flammas. Ardeat incluſum cordi, totumque illud possideat sibi. Factum iam possessio nominis huius magni. IESVS imo resideat corde, IESVS supremis natet labris. Vigilet ille tecum, indormiat tecum. Ambulas? dirigat ille gressus. Quiescis? claudat ille latus. Studes? ille te erudiat. Loqueris? ille insideat labris. Siles? ille te pia doceat silentia. Scribis? ille dirigat calamum. Operaris? ille moderetur manum. Oras? ille orationem animet. Amas? nullam admitte flammam nisi à dextera illius, nullos ignes nisi ab amore illius iaculatos, quales accepimus,

Act. 2. cùm *factus repentè de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritis vehementis, repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis, sedit q; supra singulos eorum.* Hos ignes concedat huic animæ Amor meus sanguine suo purpuratos, nomine ter magno suo firmatos, vt nihil amem, nihil voueam, nihil sperem, nihil cogitem, nihil ambiam, nisi IESVM amorem meum sanguine rubricatum; nisi illum non tantùm in castimoniæ lilio candentem, sed in circumcisionis torculari rubentem. Illum loquãtur frons, oculi, labra, genæ; illum quidquid reconditum tegitur corde, quidquid palàm diffunditur ore, & calamo, vt vnus mihi iam sit IESVS & omnia. Nihil extra illum aut mens intelligat, aut voluntas amet, aut ora loquantur; ille mihi vnus abditus lateat fibris, ille verbis & opere splendeat, donec totus tandem illius, ille meus,

meus, post tot votis optatos amplexus cum fortunatissimo Euangelico sene, inclamare ex vero liceat, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Cùm sensero nimirum hoc pectus amori tuo, tamquam fluminibus innatãs; imbribus tuis, tamquam decumanis sursum deorsum fluctibus amica conuolutione iactatum; nube cælesti tua, tamquam toto Oceano consepultum. Felicia amoris flumina, fœcundus imber, fortunati fluctus, beatum mare magnum! Eueniant hæc mihi in hoc magno à circumcisione purpurantis IESV nomine, & eueniant æternùm. *Luc. 2.*

CAPVT X.

Ad stellam Maiorum ducem.

FELICES Magi, tam fortunata stella duce. Quis non sequatur amicam stellam? errare non potest quæ è cælo ducatum præbet. Sequor præeuntem. Nam quid nunc verear tanto ductore munitus? sed neq; mentiri stella potest diuinæ prouidentiæ nutu in testationem noui Regis submissa terris. Amo te mea stella, quæ me ducis ad Regem meum. Nolo regiam. Quò mihi diademata & purpura, & nomen regium? Amorem volo. Ad hunc me ducito, & sequor paribus tecum passibus, vt coniungar illi indiuiduo nexu; nisi Rex Amor meus est, vt innectatur hæc anima Regi iam suo Regina. Sit hæc Regina vt amem Amorem meum Regem. Duc me quò voles stella. Sequor, Quid si Hierosolymam ad Herodem

rodem & synag gam? ad Annæ, Caiphæ, aut Pilati domum? ad templum marmore instratum, gemmâ & auro tectum? quò mihi magna hæc nomina, aurum, gemmæ, marmora? non hæc sunt illa, propter quæ calcamur & premimur, propter quæ ferrum cædesque vibem inambulant, rubent indignata maria & flumina, fatiscunt cadaueribus campi, nec iam torrentes aquam, sunduntsanguinem? quò mihi argenti auriqúe pondera Herode nata? quò purpura radians, auro nitens, gemma fulgurans? an vt audiam blasphemas populi voces de adulantium ore fœtentes, *Dei vocis & non hominis*? *Act.* 12. simulq; in scaturientium vermium putoribus videam potentis Domini in diuinitatis æmulatore dexteram potentem, nec frustra iam Deum? vel quò mihi Synagogæ festus, perimentes & occidentes literæ? quò frontibus præcepta ludentia,

tia, incircumcisis exulantia cordibus? quò in Anna & Caipha decinerandum Pontificium nomen, & iam nullum? procul hæc ab Amoris mei domo. Hanc quæro, mea stella, dux mea. Quid mihi ostendis Hierosolymæ turres cælo surgentes, Babyloniisq; conatibus inuidiam facturas? quid fatuas Regum ostentationes? quid humanæ dexteræ stulta molimina? non cinis & puluis omnia? quid thesauros Dauidis, impendia Salomonis? perierunt. Et iam sola nomina. Quid mihi diuitem Palæstinam, campumque lacte & melle fluentem, aut grauidos sobole sua autumnos, nepotibusq; superstantes auos? non mortem Palæstina bibit, & retro iam ager, pascua, vineta, nunc Gelboë montes? cùm intonuerit ille populus fatali buccina, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Matt. 27. dictum, factum. Et exinde natauit iam orbis Hebræo sanguine in pia-

mentum

mentum semel fusi innocentis sanguinis. Quid alta ostentas mœnia, propugnaculis circumsecùs firmata? quid mille millionum auri opus, quos conuasauit Dauid, profudit in vnum templum Salomon? non sunt hæc Amoris iam mei amica domicilia. Alius in illis amor ludit, alius habitat, sera pœnitentia ignibus æternùm coronandus. Educ me ex hoc carcere stella mea. Non clauditur mœnibus amor meus, liberos amat campos, libertatis assertor. Seruitus mœnibus clauditur, sub marmore & auro ingeminant lora, mancipia trepidant, palpitant domini, venena in gemma, ferrumque in seruo metuentes, ad omnem tectorum suorum fragorem pallentes, omnium serui, quia omniũ victima: qui namque seruus vitam contempsit suam, dominus factus est domini sui, vitæ, diadematis, purpuræ.

O vani! quid æterna sub sceptro cogita-

cogitamus? momẽto Imperator ſtetit, momẽto periit. Aũ ſit orbis dominus, audit puluis & cinis, ſeruo pariandus, & luto & terræ vermibus. Non ſunt hæc amoris mei. Videan non ſub caſa ruſtica, vili tecta vimine, habitet amor meus. Quid ſi in virginis matris ſinu, virgine paſtus lacte, & vbere virgine, collo & labris, virgineoq; vertice ludat amor me? quid ſi inter amica caſti Ioſephi baſia? quid ſi in fœno & præſepi inter bouem aſinumque medius? ô amor, ô virgo mater! vbera vbi cſtis diuite virgine lacte plena? ô ſinus caſti pudoris teſſera! caſti reconditorium amoris, & æternùm caſtum! ô labra caſti mutuo rubentia amoris purpura! ô genæ ſolis pendentis à collo amoris mei baſiis purpuriſſatæ! Quis imprimat hæc labra cordi meo, animæ huic meæ? ô brachia virgine matre caſta, quibus cingitur Amor meus, qui nullo orbe cingitur! ô

caſtus

castus matris vterus quo clauditur Amor meus, nullo claudendus cælo, terra nulla! ô panni quibus beato nexu stringitur & inuoluitur Amor meus, nullo stringendus spatio, nullo inuoluendus termino! quis pro pannis inuoluat hac anima Amorem meum? duc me ad hos pannos stella mea, ad hæc præsepia fœnumque meum. Quis scit an non admittant commutationem præsepia? omnia spondebo sponsionibus diues, exuar omnibus. Vt cùm redierit à sinu castæ matris, vbere iam plenus virgine Amor meus, nouo hoc præsepi, cunisque pro veteribus, indormiat nouis? quid si pro fœno mollia substernam corda, peccatoris lachrymis lota, Amoris ignibus siccanda? quid si ludam fallamq; amico dolo matrem? pro fasciis & pannis, animahac cordeque inuoluat dilectum suum, dilectum meum, animam hanc arbi-

trata

trata pannum? ô si matris ludam oculos fortunato hoc dolo, ludamq; ipsum adeò amorem meum! Quid immoror nec satior his nudis votis? duc me stella mea, vt expleam hæc amoris vota. Nec iam amplius vota, res sint. Duc me stella. Et iam video casam, regiam meam. O nimiùm mora longa, & ah nimis amanti longa! quis negabit alas amanti? alas habet omnis amans, pernicior alite, nimbo, vento, iaculis. Et iam attigi casam. Amplectar. Quis amplexum neget amanti? ô mea regia, votum meum, voluptas mea, amor meus! quis negabit amanti basia? dulcia super mel & fauum! quis negabit amãti labia? amica labia solo dilecto purpurissanda. Quis negabit amoris genas? dilectæ genæ solius amantis ore sulcandæ. Quis negabit amorem ipsum? mellitissime amor, solius amantis brachiis constringende.

Verùm vale mea stella, cœlos pete.

Non

Non sequor. Miraris? cælum mihi hic est & cælorum primum maximumq;. Nam & amor meus cælum est. Vale dux meus, regiæ meæ, amoris mei dux magne. Gratias habeo tibi pro felici hoc ductu. Nec aliud habeo quod rependam. vnum enim amoris affectum habeo, nec vl rà. Huncaffectum amoremque meum soli amori meo debeo. Ignosce. Non possum hunc defrustare. Totum occupauit amor meus, nec riualem patitur, aut partiri permittit amorem. Ignosce. Præter hunc aff. ctum & gratam mentem beneficiorumq; memorem nihil habeo; illum non possum, nec meus nunc amor est, amoris est. Ille sibi hunc in pannis, præsepi, fœno, matris vberibus coniunxit sibi; quare cùm transierit affectus amorque meus in ius possessionemque amoris, nihil illius habeo, quod erogem tibi. Gratum ergo animum, qui solus mihi reliquus, sacro di-

cro dicoq; æternùm tibi. Patere me
nunc satiari regia mea, animamque
hanc Reginam iam factam, Amori
Regi suo. Beata regia. Supra quid
quid fuit, eritque magnum, adeo-
que cælum ipsum vincens decore.
Nam quæ alia cæli gloria, quàm A-
mor meus? aut à quo alio illi digni-
tas quàm ab amore meo? qui cùm
pro cælo Bethlehem sibi delegerit
nõ & omnem dignationem Bethle-
hem concessit, in Bethlehẽ transtu-
lit, quod aduẽtu hospitioq; suo feci
cælum? ô liceat, Bethlehem, mutare
vices, vt tu transeas in me, ego in te,
vt fiat iam hæc anima cælum amori
mei. Vt qui volunt cælum, descen-
dant ad hũc hortum aromatum di-
lecti manibus consitum, ad hanc in-
quam animam felici amoris mei hos-
pitio cælum factum. In quo amor
meo, gaudium meum, voluptas me
castæ genitricis matris virginis pen
deat vberibus, virgine lacte faturan-
dus

dus. Felix illa dies. Æternet hanc amor me⁹; vt cælum fiam amori meo, virginisque matris cælum Bethleem factus dilecto meo ludenti inter vbera! quid hæres anima, facta iam Regina Regi tuo, thalamus, adeoq; cælum dilecto tuo? Non quæ Regina & thalamus, cælum est? ego dilecto, dilectus meus mihi. Cælum ille mihi, ego illi. Nam & delitiæ illius esse cum filiis hominum. Non & cælum? nam quid aliud cælum, quàm delitiarum locus dilecti mei, & delitiarum æternarum? tantùm fruamur his deliciis amor meus mutuo iam facti deliciæ magnæ, castæ, æternæ; quales tu matri, mater tibi, castæ matri virgini delitiæ castæ. Castis vberibus virgine lacte tuberantibus casta labra, os castum. Casto collo ceruicibusque castis amica & casta sarcina. Castissimis matris genibus vteroque virgini castum pondus, optatum gratum que pondus.

Nullum

Nullum pondus. Nisi delitiæ pondus, & pondus cælum. Nam, quale fuit hoc pondus cælum matri? ô qui ludis inter vbera, factus vberibus cælum! non & vbera virgine distenta rore facta vicissim cælum tibi, voluptas tua, delitiæ tuæ? Eueniant hæc mihi, vt vicaria præbeam vbera, non dico castæ, sed pœnitentis animæ. Nam & fructus huius dulcet gutturi amoris mei. Carpe dilecte mi, & pascere his malogranatis, (abite oculi) venarum fontibus purpuratis, vt tu mihi, & ego tibi, æternùm mihi, æternùm tibi, & delitiæ vtrimque æternæ, æternùm cælum. Nec aliud quàm mutuum hoc in omnem æternitatem cælum.

CAP.

CAPVT XI.

Ad Maiorem adorationem.

QVo properatis seculi prudentes? stulta mundi elegit Deus; quid patria carisq; penatibus desertis peregrinum veneramini solem? quid in alieno solo & diademate sceptra quæritis noua? quid in cocco & Tyrio Regem speratis? an coronam vultis nouercalibus Synagogæ manibus texendam? an purpuram, non alio succo, quàm Regis sui sanguine tinctam, & meliore iam purpura lotam? Nobilissime cælorum, quando fruemur aspectu tuo? quando lauabimur defluis his guttis purpuræ tuæ? quando madebimus hoc rore, mergemur fluctibus, innatabimus purpureo tuo mari magno? erit cùm non tabula salutem quæremus fluctuum hostes, sed toto immergemur corpo-

corpore purpureæ tempestatis auidi; hauriemusq; ore toto proni, amicos purpurę nostræ fluctus. At nunc aliò nos vocant Magi, Regẽ vouent, spirant Regem. Nil nouum, si diademata sceptra loquãtur, purpura purpuram cogitet. Magnorum hoc est, intacta transire iacentia, & quæ voluntaria voluuntur iniuria; & ad magna manum tendere. Regna meditari & imperia, Regum est. Humi serpentia delectant plebem. Et quæ vix magnorum teruntur pedibus, plebeia legũtur manu. Quò minùs mirum, Regem meditari Reges, nec infra coronam verticem discriminãtem, aut infra sceptra locupletãtia dexteram, aut extra purpuram diuite terram fluxu verrẽtem cogitationes oculosq; iaculari. Nouum esset, non ambire regna Reges, negligere imperia. Iam cùm sponderet stella regna, nouaq́ue terris imperia nata, quid magnũ fuit excire patri

solo Reges regnorum auidos? magnu n fuisset, post diuites regnorum sponsiones domo contineri. nec quisquam nisi ignauæ mentis ignauam dextram crederet, quę proposito regno, sceptra negligeret, aut cõcederet aliis domestica cõtenta gleba, decurrunt ergo in odorem regnorum nouorum Magi nostri stella indice & duce. Falli stella non poterat, didicerat cælo. Fallere non poterat, nascũtur terris doli, exulant cęlo. Certi ergo de sponsione sequuntur ducem, & iam propè regna tenebant, cùm lusit hic error: Iudæorum Regem, & in illo orbis imperium quærebant, quis dubitaret Hierosolymis nasciturum, in regia nimirum Regem? fuit hoc à prudentia seculi, quam necdum in plenum exuerant Magi nostri. Regem tamen reperiunt sed quem seculum, non promiserat stella. Herodem Regem. à quo de nouo scisciantur Rege. Quid

nisi

nisi filium suũ designaret? aut quem alium agnosceret Regum regno suo natum? audax factum & ni stella propè imperasset, temerarium. In alieno regno nouum Regem à rege ipso quærere, quis crederet aut prudenter, aut sine ferro & sanguine posse? Verùm cõtinebat barbaras has manus in filiorum etiam iugulo notas, qui stellam ductricem cælo dederat. Et quod magis mirere, discunt ab ipso, Synagoga magistro, Bethlehem regno regi æque designatam. Deserta proinde Hierosolyma, quæ Babylonem & Sodomam scelere vinceret, vt primùm pedem extulerunt, ducẽ suam stellam vident. Non viderant Hierosolymis, sceleribus subduxerat radios densaque criminum nube intercluſa luce, prospectum negauerat. Nunc pulsa caligine tenebrisque reductis, optata lux redit; dux comesque itineri futura. Amplectũtur Magi nouum cælo munus, post stellę

ſuæ noctem diem nouam. Sequuntur præeuntem. Et ducis ſuæ ſtatione nullis retrò audita ſeculis diſcunt regiam ſtabulum, cunas præſepe, lectum fœnum, coccum & Tyrium viles pannos, comites & ſatellitum turbam bouem & aſinum, nutritiũ, non patrem Ioſephum, matrem virginem, puerum Regem virgine lacte paſtum, vtero conceptum virgine, virgine natum.

Quem credam fuiſſe animũ Magorum noſtrorum in hoc nouo Regum maximi portento? ſtetiſſe credam mentem, nec delinquentis animæ ſigna tuliſſe, dediſſe? tot miracula momento fulſiſſe, & non ſubductos corporibus pedes prolapſu venerationem teſtatos?

O ſtabulum Regis mei amoris mei Regia! te veneror mea Regia, in qua ſtabulare voluit Rex meus. Veneror te meum ſtabulum regia facta amoris mei. Æternet hoc mihi ſta-

bulum Rex meus amor meus. Non quæro hic marmora & aurum, non laquearia gemmis lucentia, non parietes aulęis grauidos, non quidquid docta manus lusit in ornatum ingenio vincente naturam. Vnus enim amor meus & aurum & gemmas, obeliscos, pyramides omnes, & quidquid Asia, Africa, Europa marmorũ sub docto sudauit ferro. Quidquid ornamentorum lassata terra, & maria, quocumq; sole mutuata ab vtraque deuexerunt India, Oriente, Occidente toto, quidquid tot retro seculorum omnibus quaqua terrarum fatigatis fluminibus, portentosa Regum produxit insania; tam facilè vincit amor meus, quàm facilè maria vincunt torrentes, cęlumq; antestat terris.

Felix spelunca regiarum cunarum amoris mei vicaria ministratrix. Vbi columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus Regis

Salo-

Salomonis mei? verùm quò mihi columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus? non pro his omnibus meliorem Salomon amor meus, cuius *caput aurum optimũ*, Cant. 5. cuius *genæ sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis*, cuius *labia lilia distillantia myrrham primam*, cuius *manus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, cuius *crura columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*?

Fortunatum fœnum plumæ, lectus, thalamus factum dilecto meo. Non dicam cum sponsa tua, *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Cant. 1. Exaruit fœnum & emortuum iacet. At tu mihi pro fœno, *flos campi & lilium conuallium*; & *botrus Cypri dilectus meus mihi* es. Cant. 2. Fulciar tantùm his floribus, madeam vino, *quia amore langueo.* Cant. 1. Sed & *vineæ florentes dederunt odorem suum*, in hoc odorato fœno, Cant. 2. lectulo dilecti mei. *Lectulum Salo* Cant. 3.

monis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Nil hic opus ferro exulat omnis timor. Et nox hic nulla, dies est, omni elementario maior. Nam & Sol hic est omni elemētario nobilior, à quo hic noster lucem omnem suam mutuatus, lucem refundit. Quin & si opus milite, solo mater cælo plena,

Cant. 6. *terribilis vt castrorum acies ordinata* est, vt nullius verear ferrum. Quid si tamen hostis contrà steterit, an non Bethleem fœni mei reconditorium,

Cant. 4. *sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis*, ex qua *mille clypei pendēt omnis armatura fortium*? Imò quid turris Dauid ad Bethlehemica propugnacula terris inferisque tremenda, cælo veneranda?

Beati panni; non & beatiores si demuter in illos? si præcingar amori meo animatus pannus. Si obuoluar dilecto

dilecto meo vitalis fascia? beati pannianima, castæ virginis matris manibus, præcingenda amori meo: beata fascia anima, virgineo obuoluenda nexu amori meo. Quàm benè ludemus virgineo explicati sinu, virginequé manu & brachio implexi amori meo? fortunati doli, si fallam in his pannis matrem: felices fasciæ, si fallam in his amorem meum animato dolo. ô quando! quando obuoluar amori meo castus amor, pæniten-tiæ lotus manibus? quando è mœsto lachrymarum balneo, pœnitentiæ fontibus virgine magnæ matris ablutus dextera beabor in amore meo, vt indissociando nexu castus nunc amor casto innectar amori æternum meo?

Beatior etiam magne Ioseph nutritius factus amoris mei. Casta dum ludit inter brachia amor meus, pendet amica collo sarcina, purpuratq; genas basiis, purpuraturq; tuis! tẽpora vbi

ra vbi estis? gnosce. Inuideo tibi magne senex. An vsque & vsque iuuat basiare? satis, ah satis. Morior si pergis. Quid negas amicum pondus? paululùm secede hac regia, vt succedam nutritius nouus: paululùm cõcede hanc satcinam vicaria gestandam dextera, vt ludat iam amor meus in hoc vicario collo, genis, vertice, dum pannos explicat virgo matera mori mea. ô basia vbi estis, vt osculetur me osculo oris sui amor meus? beata ô nimiùm basia amoris & mei! ô exterantur hæ genæ tam casto basiatore! non satis est purpurari, nec manibus his alumnari. Totum, totum volo, & collo genisque, cordique animæque huic quaqua parte totum. Concede hoc mihi materna: nam iam annuit amor meus. Beatiter & amplius, terris cælisque prima. *Quàm pulchra es, & quam decora in delitiis! Statura tua assimilata est palma, & vbera tua botris, guttur tuum sic-*

Cant. 7.

ut vi-

uinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiisq; & dentibus illius ad ruminandum. Quid? quod *meliora* etiam sint *vbera tua vino, & odor vnguentorum* tuorum *super omnia aromata. Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Ideo dilexit te amor meus; & elegit è millibus virgo virginem. Cant. 1. Cant. 4.

O taceo. Nec habeo vltrà spiritum. Sed & anima mea liquefacta est à vultu decoris tui. Vt iam exclamem, *Verus est sermo quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Maior est sapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuã. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui cõplacu-* 3. Reg. 10.

placuisti. fac me vnum de mercenariis tuis, quia hic fame pereo, amore langueo: nec est qui consoletur me ex omnibus caris meis. Tu potest & post amorem meum dilectum tuũ, potes sola. ô langueo. & ô sitio. Languentis restingue sitim. Non restinguitur nisi amore meo. Concede hunc mihi virgo mater, vt bibam ex hoc puteo aquarum viuentium, & satier ab vbertate fluminum illius. Quid negas pauperi quod concessisti Magis? an quia illi Reges, de prærogatiua sunt priores? aut Regibus patrocinantur iura? non cum paruulis & pauperibus sermocinatio illius? non stulta mundi elegit amor meus, vt confundat sapientes? meus ergo potiori iure, meus est. Nam & in pastoribus pauperibus primò denunciatus est.

Felices interim Reges: nam dum vota hæc eunt mea, cęlumq; terramque impleo suspiriis, fruuntur illi amore

more meo, nõ furtiuo quopiam, sed pleno matris munere. Fortunati Reges. Quis me constituat Regem vt potiar dilecto meo? magis etiam, qs me statuat Reginam, vt iungar Regi amori meo, & liquefiat hæc anima in sinu Regis amoris mei? immoriatur vberibus illius, condaturq; nobili hoc sarcophago æternùm illius. Ne cogar cum his Regibus redire in regionem meam. Regio mea, patria mea, amor meus est. Semel egressus sum è domo matris meæ; semper egressus sum. Semel renunciaui patriæ, renunciaui semper. Nec alia mihi nunc genetricis domus, quàm genitricis magnæ virginis matris. Nec patria, nisi Regium Bethlehemicum stabulum. Hic viuam, hic moriar. Ite reges Magi. Exspectat vos solum patrium, parentes, cara pignora. Mihi parentes nulli extra hãc genitricem magnam; pignora nulla extra hunc amorem magnum; cælo concessum

matri datum, mihi natum, vt iam huic decantem illud sponsæ: *Ponemi vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Quia fortis vt mors dilectio. Lampades eius, lampades ignis atq; flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicier eam.* Nam quid comparari amori potest, & amori meo? in quo reconditi cælorum terræq; thesauri iacent. In quo consepultæ delitiæ omnes, beatarum mentium gaudia. Magni Patris, magnus amor. magnæ virginis matris amor magnus. Sit & pectoris huius animæque languentis meæ amor magnus. Eueniat hoc mihi in hac Bethlehemitica regia Magorum munificentia locupletata. Nam ego quæ deferam munera nulla habeo, præter cor contritum & humiliatum, & amore saucium: hæc si amas & voles, habes amor meus.

Cant. 8.

Aurum

Aurum ignoro præter amoris aurũ pœnitentiæ fluminibus, caritatis fornacibus purgatum, & purgatum senties. Myrrham ignoro, præter myrrham animę mœrorum fontibus lotæ. Thura negata mihi odoratarum arborum lachrymæ, nisi pœnitentis arboris huius lachrymas, non perstillicidia, sed totis situlis, adeoq; ostiis profluentes velis. Hæc si amas, & non aspernaris munera, regio, quia munifico & parcere nescio pectore eroganda, habes munera (abi inuidia) prodiga manu profusa. Nescit amor parcere. à cuius tecto tam exulat parcimonia quàm absunt odia. Carpe hæc munera noxiæ aliquando arboris fructus lætos, quos tibi virgo mater, virgine grataq; porrigat dextera æternùm tua. Quo beneficio etiam illius æternùm socier tibi amor meus.

CAPVT XII.

Ad fugam in Aegyptum.

Matt. 2. ANgelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, *Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptũ, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum, Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum.* Quò properas amor meus? etiam nocte, & in Ægyptum? quomodo nos deseris Sol magne? an inferre diem paras Ægypto, vt Ægyptias dispellas noctes Pharaone natas? aut quid vereris ferrum Herode cusum? Non tu ille es cuius hæc fortia verba sunt fiduciæ plena?

Matt. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum,* è quibus

4. Reg. 19. vnus nocte vna *percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.*

Non

Non tu ille cuius nutu Babylonius tyrannus fœnum vt bos comedit; Baltassar Chaldæus appenditur in statera, & inuenitur minus habens; Antiochus mœroribus contabescit in terra aliena? quid metuis ferrum? non tuo nutu stat hæc pensilis mundi machina, peritura si remoueris manum? non imperio tuo *dirupta terra sub pedibus* Core, Dathan & Abiron, *& aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum; descenderunt q3 viui in infernum operti humo & perierunt de medio multitudinis?* non sequenti dehinc die *quatuordecim millia hominum & septingenti*, obloquentia Moysi & Aaroni incendio percussa sunt? non manus tua *misit in populum ignitos serpentes?* non *quasi viginti tria millia hominum* post conflatilem vitulum Leuitico ferro ceciderunt? Quid ad vnius Herodis minas fugam meditaris, & Ægypto reconderis, è qua in manu

Num. 16.

Num. 4.

Exo. 32

manu forti tua eduxeras sexcenta fe-
Exo.14 rè millia peditum virorum, cùm *ingressi filii Israel per medium sicci maris, staretque aqua quasi murus à dextera eorum & læua, reuersæq; aquæ operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis*? non ad blasphemas Sidoniorum procla-
Act.12. mationes, *Dei voces & non hominis*, percussit Herodem Angelus tuus, *eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus exspirauit*? Qui sanguinem veneras daturus, ferrum fugis? crux & claui & lancea mitiores Herodis ferro sunt? aut molliùs cades in istis, duriùs hoc secaberis?

Maior te tãgit amor mei. Noluisti tã molli ferro cadere, vnoq; vulnere animam cęlo reddere. Nisi per mille vulnera abiret anima, satiari non poterat amor. Nisi per laxissima manuum, pedum, lateris tam quam flu-

minum

minum ostia sterneret amor viam, aditumque per hæc reseraret amanti animæ, expleri non poterat amor. Et quantum daret sanguinis vberibus etiam tum pendens? non satiatur amor modico. Magna vult omnis amor, si amor est. Exulant ab amore auaræ manus. Parca prudentia seculi; munificus omnis amor est, adeoq; prodigus omnis amor est. Et quantum daret infans lactei sanguinis tot sceleribus meis? virili robore, & tamquam potenti confrictu validi lixiuii eluenda hæc scelera erant. & quid funderent leues venæ lacteo rore plenæ? flumina deuomenda erant scelerum montibus diluendis: cumque & arenas maris, cælique stellas vincerent crimina mea, vix Oceano eluenda, nonne prævalidis fluctibus opus erat ad has moles deuerrendas? iam cùm imbibisset cor meum scelera tamquam lana, quæ cunarum spongia elueret

hunc

hunc colorem? virili spongia, & potenti dextera eluendus noxius hic color erat; eò fortiùs quò multorum annorũ possessione tenebatur. Iam ne non sensisse mortem, aut huius tãtùm è cunis, & virginis matris dextera superficiem degustasse videretur, ad acerbiora, & qualia nulla retrò dederant secula crudeliora se seruauerat amor; plus amoris ostensurus quò plus tulisset pœnarum; plus erogaturus, quo plus per plura vulnera sanguinis profudisset. Secari ergo toto corpore voluit, spinis etiam exterebrari caput, vt per tot vulnera diffunderet amorẽ per quot ne sperare quidem hominum Angelorum que omnium amor auderet, nihilque è tanto corpore seruaret sibi. exiguus erat, cùm adhuc de collo penderet leuis grataque matri sarcina, vulneribus locus; placuit excrescere in virum, vt maior pateret area ferro, laxior vulneribus locus. Amoris

hoc

hoc proprium est, quærere quomodo se copiosiùs profundat in amatũ, prodigo semper ausu, prodigo fusu.

Fuit hæc fugæ causa. Amori se seruauit amor, vt munificentiore postmodum dextera bearet amãtem. Fecit cùm tempus tulit, plusque longè sanguinis extra ferrum fudit in horto, quàm è virginis matris sinu sperari poterat in Bethleem. Quid? quòd singula propè flagra, singulæ spinæ plus erogauerint sanguinis, quã Herodianum spõdere ferrum poterat. Iam claui & lancea, ebria dilecti mei sanguine, quanta flumina profuderunt? Fugit ergo amor meus, vt melioribus se seruaret annis amanti, risitq; fatuam humanam prudentiam futurorum nesciam, adeoq; præsentium ignaram. Primasque has primę Bethlehemiticæ infantiæ rosas nouo gramine intertextas tamquam capiti corollas aptauit sibi, quibus velut ciuica redimitus corona, nobilem

bilem de tyranno triumphum ageret, tot ciuibus suis hostibus ereptis, cæloque patria donatis. Sequor fugientem amorem meum, vt vel lasso succedam Iosepho, vel obsequia deferam matri. Dulcis amanti fuga, dum nunc dextera sedet amor, nunc ludit læua, nunc amica pendet collo furcina, nunc pectus pectore, labra premit labris. Dulce conuiuium, epulæ dulces, delitiæ meæ, voluptas mea, dum ora rigantur ore, & tamquam fœcundo rore discissa oculorum nube lætitiæ immadescit lacrymis amor meus, bibitque pro virgine lacte, gaudiales amantis lacrymas pœnitentia & amore grauidas. Fœlices oculi matres gemino beatæ partu, dum vno profunditis sinu hic mœrentis turturis, ibi lætantis columbæ lachrymas; maximè si vtrasque legerit, magis etiam si biberit amor meus. Nusquam hoc sperare possum audentiùs, quàm in hac Ægyptia

gyptia fuga, dum destitutus aliis, sola matre & nutritio comite, non habet in quem diffundat amorem. diffunde amor meus. Et depelle amoris tui radiis densas has animæ meæ noctes Ægyptiis maiores. Pelle quidquid imo latet sordium. Deveneno hunc cordis mei sinum medica amoris tui theriaca: myrrhatóque vino tuo quidquid putre cõsepultum latet pectore, deterge & fuga; virgineóque lacte tuo elue has animæ maculas, ô nimis altè impressas; tamquam si exaratę sint non in libro aut plumbo, sed chalybeo stylo in ferri lamina; aut adamantino magis stylo in ætnæa incude. Tu solus potes amor meus. Fac quod potes. Vt depurato ad viuum pectore, flammas iaculeris tuas, amoris flammas; fulmina contorqueas tua, amoris fulmina; ignes immittas tuos, amoris ignes, vt ardeat hoc pectus & inæstuet totum amore decinerandum tuo, ô calor!

calor! amicus animo calor. Exure quidquid hic flammarum ardet fibris alia iaculatum manu: suffoca quidquid hic ignium aliorsum natat: perime quidquid hic viuit non tuum, quidquid carne & seculo natum, vt viuam tibi, & tibi soli.

Quàm lætas decurremus noctes tu & ego, quàm lętos dies! lubet exulare tecum, vt viuam tecum. Beatum exilium, cælo mihi carius ipso. Fortunatum exilium. Quàm feliciter exulat, qui tecum exulat! exulare non potest, qui tecum exulat. Nam quomodo exulat, cui tu patria, penates, parentes, liberi, opes, honores, voluptas, delitiæ, cælum denique es ipsum? solus ille exulat, qui à te exulat. Nam qui te fruitur, quid vltrà petat? accedant vota, imperia & regna, & quidquid spondere mundus potest. Adeoq; quidquid tot seculis contulit, in caput conferatur vnum: quid sunt hæc ad dona tua? corporis

sui

sui vmbra, prototypi sui imago, tritici sui palea, pomi sui caudex, nuclei sui cortex, auri sui scoria, gemmæ sue concha, ac ne tantillum quidem. Fruar hoc ergo exilio tecum amor meus. Non deprecor locum. Ad quamcumque insulam deportaueris etiam auibus inaccessam, ad quæcumque ablegaueris infamia terris saxa, ad quæcumque monstrorum antra sanguine natantia, bene mihi erit, si tu ibi es amor meus. Etiam in inferno & è mediis flammis dicam, Habeor bene, si tu ludas hac dextera, repleasq; hoc pectus amor meus. quid? quòd cariores mihi cælo flammæ, si in illo te caream, in his fruar optatis amoris tui nexib. amor me? inuisum cælum, si exulat cælo amor meus: desideratæ flammæ, si in his sedem firmauit suam amor meus. Non facit locus cælum, non infernum flammæ. Tu solus cælum statuis, qui tuos vnus reples gaudiis Amor

mor meus. Sed nec tristes sunt infe-
rorum flammæ, aut tormentis sui
graues, si in illis æstuet amor tuus,
qui solus omnes flammas, tormenta
omnia vertere potest in delitias, &
optata menti & corpori gaudia. Pa-
tere ergo me socium tibi in hac fu-
ga, patere in diuiduo iungi comitatu
vt æternùm claudam latera tua, tu-
æternùm mea. æternùm in sideas huic
cordi, æternùm in hæream tibi. Pars
tu mea, hæreditas mea, possessio mea
æternùm, & ego tua: imò tu totus
possessio mea tota, & ego tua.

CAP. XIII.

Ad infantes Herodis imperio cæsos.

QVonō prorsus effera barbaries
non satis sæuisse in filios fœ-
ris tui germen, germinis tui floren
floris tui fructum? quid in alienol
dis sanguine ludere in adulto, &
med

meditari poterat nocitura. Nũc cùm in innocente furis in aula retrò seculorum barbarie, quis matre te natũ credat? mitiores tigrides, struthionum matres, crocodili patres. Quoties fame prouocante humilem leo transiit? mitescit nimirum feritas, & humilem dedignata prædam est, cũ solas pro ferro lachrymas, supplicesque tenderet manus inermis dextera. Quid? quòd nõ semel innocuam sibi passus à matribus eripi prædam, nec indignatus sæuiit, stupuit potiùs, & famem postposuit amori? Vetùm quò hæc clementiæ exempla? vincere placuit quidquid vbiq; barbarum efferũq; erat, vsq; eò puduit à bellua feritate vinci. Erubesceret nimirũ in homine benignitas si vinceretur à bestia. Ergo ne vinceretur, & tamquam in clementię triumphũ duceretur, superare placuit. Nouum proinde sæuitiæ genus excogitandum fuit. Fœcunda crudelitas, vete-

ra

ra fastidiens, saturanda nouis. Si tamen saturanda crudelitas. Lentas in morte mortes quærit: quasi non satis sit semel periisse, æternare vellet mortes, abeuntibusq; tormentis tormenta innasci noua, pereuntibusq; flammis tamquam Phœnicibus, flammas enasci nouas, nouas à matrum funere soboles æterna quadam semper vrentium flammarum generatione.

Tacerem, si in noxio iugulo crudelitas sæuiret: in innocente sæuire quis ferat? & ne quid tamen desit crudelitati, experiri lubuit in innoxio sanguine quid posset feritas. Iam si caderet victima ferrò idonea, non deessent fors exempla. Nimis in hac barbara arena vile alios imitari. Exemplum posteritati placuit statuere quod nulla vinceret ætas, omnis stupesceret ætas. Fiunt infantes victimæ Herodiano ferro, bis crudelis, in matribus & filiis. Quid peccauerant

matres

matres? si genuisse, peccasse est; omnes tenentur reæ. Si tulisse, lactasse, crimen est, quid vllo seculo vixerunt matres? si scelus est esse matrem, quid nubit virgo? nam infantes quid peccarunt? si peccarunt vbera, petantur vbera: peccauit vterus? sæuiat in vterum ferrum. Quid in innocuo sanguine sæuit furor, & in infantili iugulo barbaro luditur ferro? quousque furor? pendentis ab vbere nati ferro transadigunt ora, vt vbera bibant sanguinem, quæ pauerant lacte, facta iam vbera infelix filiorum soboles, dum natorum pascuntur sanguine miserando hausto, & ô nimiùm matribus inuiso. alter in vbere, ceruice transfixa, dum bibit vitam, euomuit vitam, mortemque in vita reperit. Fecit, quod potuit pietas, conata vitam vberibus reddere, à quibus hauserat vitam, animam vix iam natam diffudit in vbera. Sors dura. Quæ vitam dabant

vbera, facta sepulchra natis. Nec defuit quæ eodem cum sobole caderet ferro mater, quasi vno vulnere duæ animæ. Pietas vbi eras? dum in mutua vulnera mutuas iaculantur animas, tam quam matris iam natus, pati victura mater anima audi cælum, & da hoc pietati, si fas sperare est, alter vt alterius spiret, viuat anima; fiatque iam nato mater natus, natus matri mater. Ille dilectæ sinum matris dum purpurat sanguine, cadit eodem telo mater; vt crederes reserari vterum monumentum soboli; vix effuderat prolem seculo maturam, & iterum proles vtero non victura, condenda tamen & tam quam infelici sarcophago claudenda. Alter dum caræ genitricis ludit inter basia, infelici pallentes amore genas purpura purpurat. Miserum illud dum crudelitatis facta victima infelix iaceret mater, & ignara ferri mortisque adreperet soboles vbera petu-

tura;
steter
mort
bera
ficis n
deret
buera
riiam
balne
nea,
ruis fe
flecte
aliqua
D
barie
randu
pauco
poter
quor
infeli
si vn
sangu
lo fer
omni

tura; vt pro lacte biberet mortem: fleterant nimirum lactei torrentes morte exsiccati; & fugebat infans vbera viduata rore suo, donec carnificis manu sanguinem pro lacte funderet. Ille ceruice præcisa toto incubuerat corpore natus matri, vt lauariam posset sanguine, & natare hoc balneo mater infausta matribus balnea, tam barbaro fonte nata. quò ruis feritas parcere nescia. Non auro flectenda, lachrymis, prece. ô parce aliquando ferro.

Dirum edictum in vltima barbarie natum, tot millibus vix saturandum. Si natare sanguine volebas, paucorum explere rabiem mortes poterant. Nec deerant nocentes, quorum sanguine balnea natarent infelici natatori suo administra. Aut si vnus nocens natare innocentem sanguine debebat, daucorũ se iugulo feritas contineret. Sed nimirum omnium demetendæ ceruices, tam-

quam falce vna ceruix vna, vt omnium sanguine barbaries prolueretur. Et in hac tamen barbarie felicis sobolis felices matres. Prima hec hostia cadit Regi tuo, Deo tuo. Fortunata ô nimiùm hostia cęlo reponenda. Meliores violæ, lilia, rosæ, dum primo caditis ferro, æternis inserendæ hortis, omnibus aquilonibus sæuùm vrentibus, imbribus, grandine, niuibus, glacie superiores. Victrices aquilæ quantos triumphos cælo intulistis? victricia signa quàm nobiles victorias cælo deportastis? quàm illustri gloria cælos decorastis? quis mihi concedat victimam pro vobis cadere? hic iugulum, ibi ceruices, alibi latera, pectus, ora Herodiano præbere ferro! quid refert qua parte egrediatur anima cælo collocanda? fune an febribus stranguler, ferro an calculo excutiatur anima, telo an colicæ doloribus migrare cogar, quantùm interest? nisi quòd ferro

ferè

ferè mitior pateat exitus, sanè citatior.

O si vobiscum liceat non lenta tabe, aut in molli occumbere lecto, sed in securi & gladio, vt signa inferam cælo sanguine purpurata! ô liceat vicarium hoc pro vobis præbere corpus toties lacerandum, quoties in sanguine vestro sęuiit ferrum!! liceat numerare vulnera cælo coronanda; præferre cicatrices cælo laurandas; ostentare liuores cælo remunerandos! beatum me, sed solo nunc voto beatum: beatiores vos, sed profuso pro Christo vestro sanguine beatos. Quanti fortè è vobis arderent æternùm, ni persequutor sæuisset gladius. Hunc qui auferr, coronas auferr diuite cælo sponsione repositas, pœnas adfert infelici flamma æternandas. Et quanti fors è vobis clamassent cum Synagoga, *Sanguis eius super nos & super filios nostros*: nunc quòd viuitis, quòd splen- *Matt.* 27.

detis cælo stellæ magnæ, non post Deum gladio debetis?

Non laudo gladium. Voueo tamen vobis & mihi: non probo barbaram crudelitatem. Et sine hac tamen iacebitis inglorii, ignobiliter ræ ignobilis portio, fortè & perennaturis ignibus materies æterna. Ac licet sæuitiam detester, gratulor tamen victoribus. Manebit tyranno sua merces, non sit in ignibus æternis. Manent vos vestra præmia cælo æterna. Momento tyrannis sæuiit, æternùm cruciatur; momento vos tulistis, æternùm præmiamini. Et quid consequutus est tyrannus? perdere voluit: saluauit; perdidisset, si saluasset: occidere voluit; vita donauit: occidisset, si vita donasset. Mira conditio. Perdere vt saluet, saluare vt plectat.

Nec vos tamen voluit persequutor gladius. Vnum petebat, frustratus est in omnib⁹. Vnum illum si dirè matres, reliquos nec petebat, nec

coro-

cōronabat. Quàm falsa est astutia seculi in prudentia sua! fatuà sapientia quæ cælo minatur, stolida prudentia, quæ gladium homicidiis ebrium stulto conatu intentat Deo. Quò non ruit improba vesania? quò non insana regnandi libido? Deo inferamus bellum, si liceat; signa inferamus cęlo, si cōcessum homini. vsq; adeò regnare magnū est, vt nec Deo parcat improba regnorum sitis. Vbicunq; diadema lucet, tubæ insonant tympanaque. Fas, nefas, ius iniuria, homo an Deus, iuxtà habentur. Tātùm regnare liceat, reliqua famula erunt regno: ancillabitur & cælum, & famulabundum videbit Sol Deū, si facta barbara barbaris respondeant votis. ô fatui! & vindex stabit Domini dextera Babyloniis nota tyrannis? quid imprecor Domini manum, qui vouere debui ferrum? audi vota mea qui potes Amor meus. Non potui Herode cade-

re. Cadam non inferiore ferro, sed cadam tibi. Tibi fluat hic sanguis non mitiore securi, & tibi tantùm. Vt purpurentur primæ infantiæ pānitui amantis huius purpura. Natent hoc præsepia sanguine, vt amā-tis innates balneo amore grauido.

Concede hoc amor meus. Vt non mitiore cadam Herodiano ferro, vtque sanguinem hunc libem tibi voueam, sacrem tibi. Æternùm tibi. Circumstagnet Bethlehem sanguis, vt amasse credant quæ sanguinem viderint. Nihil hic opus aqua, suauius libatur sanguine. Quid mihi laudas aquarum fontes? nobiliores sanguinis sunt. Aut si tanta te aquarum capiat sitis, nec vno satiatur amor fonte, voueo duos, aqueum oculorum vnum, sanguineum iuguli alterum; vtrumque amore natum. Currite mei fontes, diuite vbiq; fluxu. Quid desperatis fluxum? amoris estis fontes. Non siccantur amoris

venæ,

venæ, æternant fluxu. Non arescunt amoris vbera, æterno perennant rore. Misce hos fontes amor meus, vt amoris pallorem amoris tingas purpura. Sin solitaria placent: habes oculorum gaudiales fontes fœcundi semper progenie salientes; habes iuguli putpureos totis ostiis proruentes. Fruere amor meus. Ne parce. Quanto quo plus amas, tantò fruere magis, tentoque minùs parce. Amoris signa sunt non peperciſſe. Pepercit qui non amat. Nescit amor parcere. Nesciunt odia largiri, & ignorant odia pocula amore & amori nata, propinata: tu scis amor meus, quo duce fontes hi saliũt, siue oculorum pallentes, siue iuguli purpurei. Et quot hodie fontes fluxerunt tibi? quot matrum aquei, tot purpurei natorum. Amasti vtrosque, magis etiam natorum, quos nullæ siccarent bibulæ genæ auaræ nimium spongiæ, nimium arentes. Et dele-

caris non tenui stillicidio, dum raro penduloque gutta conatu lento fluxu protrudit alteram. Totis siphonibus qui fluxit fons tuus est; totis ostiis quæ proruunt flumina tua sunt; toto quæ prosiliunt corpore maria, tua sunt. Fit hoc magis in sanguinum quàm oculorum fluxu, dũ totis venis, toto iugulo, ceruice, pectore, amoris saliunt fontes, profluunt torrentes, flumina, maria, amori meo magno sacranda.

Largire hoc mihi qui potes amor. Nimis leuis amoris testatio oculorum fluxus est. Fluat iugulo toto qui toto amauit pectore. Nec respue adulti vota, aut pœnitentis Lazari & Magdalenæ, dicata tibi, sacrata tibi. Copiosior hic fluet sanguis, quàm inter cunarũ fascias, diuitesq; magis vena saliet tibi fontes, locuplete magis fluxu proruent hæc tibi flumina, maria iam facta; quàm infantiæ torrentes, qui ferè plus lactei deuehunt

quam

quàm purpurei roris. Et purpura tamen tu delectaris Amor meus. Fruere hac Amor. Et concede vt inter has cunarum & vberum hostias, grandior tibi nominique tuo cadam hostia, æternùm tua.

AMORIS DIVINI PARS SECVNDA

PASSIONEM CHRISTI continens.

CAPVT I.

Amoris lachrymæ.

QVID habenas stringis animæ? amoris laxa vincula. Liber hic campus est, currite lachrimæ. Quòd si quæ inimica manus impedimenta iniecerit, quid veremini? vno audaci saltu transilite montes, vno potenti fluxu hostiles perfringite aggeres. Disrumpite obiectas moles, discindite cataractas; validas etsi rupes, diuerrite

uerrite tamquam scopis, aut excutite tamquam pilas. Nam quæ iam repugnacula amoris sistant flumina? quæ ferro chalybeque Ætnæis sudata fratribus ostia? quæué Vulcania fusa manu propugnacula? paleæ sunt Aquilone raptę. Quid? quòd iniecturis huius molleſcat omne ferrum quibuscumque fornacibus incudibusque lentatum? ô vis amantis animæ! tam molli fluxui cedere quidquid hic potens validumq; est? tam labili, inferorum perfringi portas? tam modico, ignes extingui ęternos? tam raro stillicidio, flammas deleri non morituras? tam imbelli manu, armatas inferorum acies, tamquam maturam falci horreoq; messem demeti? tam fragili tepidoq;, quidquid vbique est roboris, tamquam Babyloniis fornacibus fœnum, momento decoqui; & in cineres solui vagumq; puluerem? Quid non amantis possunt lachrymæ? post emedullata

lata inferni robora, etiam cælis imperare, adeoque cælorum Domino? ipsumque Amorem suum non iam nubibus sideribusve excire, sed magni Patris dextera, quanta res est? vis quanta lacrymarum? summa te pœnarum exspectat sceleribus debita, ignesq; te manent inferorum criminibus irrogandi? accedant lacrymæ, cælo reponent æterna gloria donandum; & à pœnarum fæuissimis ad gaudiorum maxima felici demutatione prouehent.

Quid ergo vos tenent lacrymæ animæ delitium animæ meæ? exilite fontes cælo reponendi; currite torrentes cælo refigendi. Pergite flumina paradisiacis meliora. Et tu oculorum mare magnum fluctus deinome cælo illabendos. Quin & cælo reuellite quidquid ibi magnum. Diuos diuasque omnes? parum est. Beatorum spirituum mentes? & hoc parũ est. Ipsum volo magni Parentis amorem

rem

rem magnum. ô omni mihi nectare & ambrosia, omni melle saccharoq; suauiores currite lacrymæ. Vos volo, vos veneror Amoris mei magni duces, sociasque. Quid mihi pocula regiasq; ingeritis mēsas? aut quidqd docta manus in gulæ proritamētum vlla commenta ætate est? fella hæc sunt & colocynthide amariora. Deliriq meq, pocula mea, mustum meū, lacrymæ sunt, & illæ solæ. Fortunati fontes, torrentes, lacus, flumina, oculisq; nata maria, quibus innatat amor meus! felicia balnea quibus desudat & inæstuat amor meus! quibus non iam pedes manusque, sed totus immergitur amor me? quid partum celatis oculis? fundite matres felicem sobolem cælo maritandam. Quousque vtero graues? fœcundæ laxate genetrices sinum felicem. Cælo nascituram, connubioque ibi iungendam stabili speratam fundite prolem. Fundite lachrymas

oculi

oculi mei beatæ matres. Et quas fuderunt matres bibant ora lacrymas. Nam quid inlustrius diuite lacrymarum fluxu hauſtuq́; dum quantum fluunt tantum hauriuntur, munificentiſſima vtrimq; largitione?

Ite meæ lacrymæ fœneraria redhibitione dandæ & bibendæ. Felicia pocula tantis fontibus fluminibuſque porrecta, quibus ſatietur amor meus! beata torcularia muſto plena, quibus temulenteſcat amor meus! beatæ cellæ promæ, quibus inebrietur amor meus! ô quando, non iam oculi, ſed venæ omnes lacrymarum deuoment torrentes, flumina, maria amorem teſtantia! quando & capitis crines ſinguli denaſcentur in perennes lacrymarum fontes reconditi amoris indices! quando fiet hoc corpus, adeoq́; & anima tota, lacrymarum nobile flumen, quo ſe proluat amor meꝰ; vt nihil iam ſuperſit mei niſi lacryma vna Oceano metienda;

cui

cui vsq; & vsq; innatet amor meus, inter amicos fluctus, amica iactatione, ebria circumductione! ô quando totus in lacrymas solutus, in amicum amori vaporem beatis Solaribus illius trahar radiis, ad cælorum evectus aquas, quibus immistus amor meus, non iam socias connubialesq; iungat dexteras, sed toto permistus spiritu, æterna iungatur necessitudine, nullo æuo disiungenda; vt non iam duo sint, lachrymæ & amor, sed felici humana diuinaq; coalitione, vnum sint lacrymę & amor! ô fiat! currite lacrymę non iam meę: tuæ sunt amor meus: vendicatitio, emptitio, donatitio, possessorio iure tuæ. Æterna tibi voluntate mea pignoratione deuinctæ. Nihil in his agnosco meum. Quidquid hic imbrium pluit, diuite nube tua funditur: quæcumque hic stillant guttæ, à perenni stillicidio tuo cadunt: quidquid oculi sudant, ab æstu tuo fluit:

quæ-

quæcumque hic labuntur flumina, à fonte tuo manant. Fortunatæ ô nimium gemmæ votiuis imbribus rigatæ, purpuratæ. Felicia labra cælesti rore fœcundata.

Pergite ô lacrymæ genas torrentibus sulcare, calore purpurare; sterilescentiaque fœcundare labra diuino hoc rore madidata. Pergite hanc animam beare, indissolubiliq; nexu amori vestro æternùm iungere. Pergite nectareo hoc succo amorem pascere. Pergite amica miscere pocula amori propinanda; quibus amoris sui meique sitim, felici potatione æternùm expleat amor meus. Currite gaudiales lachrymæ. Transilite vada inbilo saltu. Secate glaciales oculorum nubes ad tubas & tympana excitati dilecti vestri. Iucundo illum amicoq; perpluite oculorum imbre, stillantibus cincinnis illius deciduis amoris guttis. fluite oculorum meorum vbera hilariore rore distenta, vt

pasca-

pascatur dilectus vester ab vberibus lætitiæ vestræ. Quamdiu auaræ matres tenetis partum? difficiles transierunt pœnitentiæ menses; quid moramini? laxate vterum felici gaudiali partu. Decurrant exultabunda flumina, seipsis iam maiora. saliant fontes cælo æquandi. Nam quid me teneat, aut quo frigore cõcretus sistar, medius dilecti fornacibus cinctus? amo te ignis meus. Procul frigora, & quidquid glaciem suam grandinẽque præfert. Melioribus dilecti flammis soluta frigora musicos fundunt concentus cælo præcinendos. Iam si organa videmus aquea artifice manu in aurium voluptatem adornata, quis illa neget dilecti mei dextera oculorum torrentibus concinnata, dum inter amica lætabunda suspiria, gratosq; amoris singultus, interstrepunt amoris voces, omni musica modulatiores? perge mea musica, oculorum, oris, cordisque modulis

dulis dilecto psallere, languentis animæ, iubilum; vt inter media casti amoris suspiria procumbas in amati sinu, æterna illius coniunctione satiandus. In qua millia annorum momentum sunt, beatæ illius fruitionis gaudio temporata.

Pergite gaudiales lachrymæ dilecto saturandæ. Neque vos oculi mei tantùm, sed & venæ singulæ exultabundæ ad dilecti vocem, purpurea fundite flumina, repagulis omnibus ingenti gaudii magnitudine tamquam ariete reuulsis. Nam quid te tenet sanguis meus in hoc venarum carcere? maior te virtus euocat. Disrumpe vincula, felicior amati sinu quàm auito domicilio. Quin & miscete vos fortunati oculorum venarumq; fontes amato sacrandi. Nam quæ maior felicitas quàm decurrere per illius pascua cælo fœcundata? quæ maior, quàm dilecti mei lacrymis sanguineque misceri, vniqueamico

mico flumini vtrũq; innatare? ſparſit ille prior prodigo fuſu, priorque hortorum balnea ſtruxit, ſudore, lachrymis, ſanguine. Prior totis diſſectis venis prætorium cõpleuit; prior nobiliſſimis quinque fontibus terram rigauit, inferos cælumq; reclusit. Imitare ducem miles, dominum ſeruus, iudicem reus, patrem filius, ſponſum ſponſa, Deum deniq; creatura.

Sed doloris hæc ſunt, & vltima mœroris incentiua, quæ exulare ſolent ab amoris domo. Gaudia nunc volo, & gaudiales fontes, ſiue illos lachryma, ſiue fuderit ſanguis. Quãquam etiam ab illis, ſiue hortulanis & prætorianis, ſiue crucis fontibus extrema nata ſint gaudia. & fors nuſquam maiora quàm ab illis, Quę triſtitia licet in ſe ſint, & mœroris plena, voluptatis tamen habent plurimum, ſiue cauſam ſpectem, amorem ſiue finem, ſalutem meam; & non

mori-

morituræ vitæ non moritura præmia. Quæ proinde mœrorem aliis, gaudium mihi vulnera sanguisque dabit, nullo fine ponendum. Neque interim diffitebor triste aliquid in hoc gaudio esse. Sed magnitudo boni, speratique fructus, perfacilè omnem amaritudinem peruincunt: & solida ex his gaudia veraque nascuntur. Nam illa quæ extremam cutem tangunt, volatica sunt. Accurrant aduersa, & senties. Arbitrabaris te illa toto corpore tenere, penna tenebas. Fugient ad omnem ventum, nomenque mali. Et vacua manu sola relicta pluma, elabentur. Et non omne gaudium quod ætatem ferat, aliquid habet virilis animi, ac quasi seuerioris voluptatis dita in asperitudine sacci, in horrore cineris, in oris de iciunio varietate, minus licet videatur gaudiorum, quàm in cocci no & Tyrio, in balneis lætioribus, in enormi altilium sagina; maius tamen

men magi q; perennaturum in illis reperies.

Contemne hæc anima quæ extremam cutem titillant, nec vltra corpus se protendunt. Intus habitet, necessum est gaudium, si verum, si solidum sit. Hominem suum occupet, meliorem nimirum partem sui, qua homo est. Nascitur hoc plurimũ inter alta suspiria imo pectore ducta, inter lacrymas, nõ stillicidio, sed totis syphonibus fluentes, totisq; torrentibus proruentes: vt dum oculi fundunt, ora q; bibunt, gratag; vicissitudine, donant accipiuntq; lacrymas; nõ modò tantùm gaudiorum, quantum lacrymarum, sed plus longè bibat animus, quàm fundant oculi: quin & centupla fœneratione plus hauriat mens gaudiorum intus, quàm fluminis foris effundant oculi. Ita crescentibus lacrymis crescunt gaudia, arbitreris terram imbre rigari, plusque reddere quàm acceperit.

perit. Aquam accepit nube sua deplutam, frumẽta reddit; & quidquid diuite partu suo mortalib⁹ largitur. Ita pro imbribus, omnium generum copiam locuplete profundit benignitate. è tam sterili elemento, tanta seges. Paria cogita. Quid aridius lachryma? & hac vna sterilis antè animus, & insano terrenorum æstu emarcidus, omniq́ue meliore robore emedullatus, in centuplas fœcundatur redhibitiones. Comederant alieni robur eius; & eliquauerat hostis, quidquid resederat humoris vitæ melioris; exsuxeratq; innato sibi odio omnem spiritalis sanguinis reliquationem; vt propriorem iam rupibus quàm terræ, omne respueret aut non admitteret semen cælo immissum; vt frustra iam esset semen. Accedant lachrymæ, & illa paulo antè rupes molescit in terram fœcunditate sua inuidiam fi- &uram. Prodigio hæc similia. Quid

mollius

mollius tenuiusq; lachryma? in ipso lapsu arescit, cadit, & lachryma iam nulla. Et tamen hac vna, sterilis animus, & ariditate sua tamquam Gelboë montes, maledictionis fulgere exesus, exsurgit in fructus cælo inferendos, & amœnitate sua ac fœcunditate cælorum agmina prouocatus in admirationem. Iacet graui sopore suo elisa mẽs, & tamquam molaribus integrisq; insepulta rupibus? accedant lachrymæ. Et saxa iam nulla, quæ mole sua tenebant astrictam. Ingenti nocte Ægyptiaque densiore tenetur animus? admoue lacrymas, & omnis illa nox tamquam sole medio detenebrata in splendidum vertitur diem. Inhorret permista mens sordibus, nauseam cælitibus paratura? cadant lachrymę. & super niuem dealbatur. Iudicio proximus, & nũquam moriturus flammis stat reus animus iamiam in æternum præcipitium detrudendus? fluant lachrymę.

& ignis iam nullus. Quid? quòd pro
his nascantur gaudia, quibus tam-
quam Oceano innauigat animus: ita
non guttatim lacrymarum more, sed
totis cælo gaudia depluuntur ostiis,
vt satiata mens inclamet: satis est Do-
mine, satis est. Nec tantis pectorum
angustiis admittere tantum possit
imbrium, excussura disruptis repa-
gulis animum ipsum, ni diuina ma-
nus nubem suam contineat, & re-
stringat porrectam in dona dexte-
ram. Quid non possunt lachrymæ
numquam non fluite fortunatę gau-
diorũ genitrices: maximè cùm mens
illis excita contemplari incipit cæle-
stia, & inebriari diuinis, quarum ma-
gnitudine rapta, ardoribusque in-
surgentibus, tamquam solaribus ra-
diis, & exprimuntur lachrymæ, & ad
sublimia tolluntur cælo inferendæ
Concedat has mihi dilectus meus,
quibus æternùm illi iungar optat
lachrymarum gaudiorumque vicis-
situdi

studine; vt nulla iam mihi voluptas extra lachrymas cælo natas, cælo reponendas.

CAPVT. II.

Christo in horto sanguinem & aquam sudanti.

OLIM canebat Sponsa, *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Et antè illam Sponsus, *Veni in hortum meum soror mea Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi.* Mutata nunc rerum facies. Nullæ aromatum areolæ, nullus qui colligat lilia. Nisi fortè pro areola aream speremus aromatum, cum diffluerent tam-

Cant. 6.

Cant. 5.

quam torrentes, lateq; rigarent hortum myrrhei sudores. Cùm steriles natarent campi purpureis fluminibus dilecti mei. Cùm nusquam lilia, mella nusquam, quę legeret dilectus meus; vinea procul, & quidquid vinum sapit. Quamquã quæ vmquam fuit area odoratiore imbre perpluta, cùm nataret in lacrymarum suarum balneis dilectus meus, cùm sudoribus cingeretur tamquã stagno, cùm sanguine nauigaret, tamquam flumine? qui horti rore fœcundiore irrorati, imbre fertiliore rigati, flumine vberiore perfusi? quæ lilia siue lacrymarum candida, siue sudoris lutea, siue sanguinis purpurea, vllo vnquam tempore collecta fragrãtiora. Vt verè hic liceat dicere, *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*: siue lachrymarũ in castitatis testationem candida; siue sudorum in mortificationis signationem lutea; siue sanguinis in charitatis symbolũ purpurea. Quam

Cant. 6.

bene

bene pasc batur, cùm & lachrymas suas, sudorem suũ, sanguinem suum ipse biberet? poterat nobilioribus pasci? melioribus potari? poterat prę-stantioribus irrigari? fœcundioribus circumstagnari? vt verè dixerim, *hortus conclusus*, dilectus meus mihi, *hortus conclusus*, firmissimus lacrymarũ, sudorum, sanguinis fluminibus cinctus: *fons signatus* dilectus meus; oculis, poris, venis scaturiens, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri, cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomũ cum vniuersis lignis Libani: myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Quæ vnquam emissiones nobiliore fuerunt purpura signatæ, quæ theatra odoratiore nardo, croco; cinnamomo, myrrha & aloë maduerunt? quę aromata fuderunt odorum diuites Arabes, quæ Indi, Oriensque totus, pigmentis dilecti mei suauiora? non *Cant.* 4.

fontes hic, non putei aquarum viuentium, quibus & viridantia virginum prata, & Confessorum pinguia pascua, & Martyrum purpuratæ vineæ, æterno vernêt autumnenturq; incremento? non fontes, aquarumque viuentium putei, quibus æternùm & virgines floreant & fructescant Confessores, & roborentur Martyres? vt iure inclamem, *Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Vt odore perfletur hæc amans anima; odoribus recreetur quæ amore languet; roborenturq; prostratæ & emedullatæ amoribus vires.

Cant. 4.

Perfla hortum animæ meæ tribulis adhuc & sentibus plenum; vt quidquid noxium tollas, quidquid inamœnum denubas; quidquid lapidosum deruderes; quidquid sterile fœcundes. Non tu me prior amor meus inuitasti ad myrrham, ad aromata, ad fauum, ad mella, ad lac & vinum?

num? verè fasciculus myrrhæ in horto hoc factus es mihi; mœroribus plena fluxerunt aromata tua permista melle, lacte, vino. Quid reliquum nisi vt comedam & bibam inuitatu tuo; & inebrier ab vbertate vineæ, & torcularis tui? quid vsque & vsque ludis animæ? propiùs res tentanda est. Erigere, & vide prostratum, amorisq; ie claua, herculea longè validiore, illisum terræ dilectum tuum. Intuere lachrymis, sudoribus, sanguine innatantem: vt non satis sit immaduisse corpore, nisi & vestes & terra natet. Si hoc non est amare, quid est amare? tacerem si liquesceret lacrymis, si sudoribus languescceret; sed cùm videam desiderio salutis, amorisque mei, sanguine diffluere non meritò in commiserantium & admirantium prorumpam voces,

Sanguineus sudor cur totos imbricat artus?

Anne mihi vt sudor sanguinolentus
eat?
Aut quid vis faciam post sanguineos tor-
rentes?
Vt discam vitæ prodigus esse meæ?
Tu lachrymis toto complutus sanguine stu-
bis,
Sanguineo immeritas imbre rigante
genas?
Et mihi stent lachrymæ, nec fundent flu-
mina terris?
Aut oculus lachrymas combibet ipse
suas?
Quin magis iste oculus fiat de flumine flu-
men,
Imprecor, eq; meis nunc lachrymis la-
chryma.
Currite sanguineæ & lachrymarum flu-
mina, mœsta vt
Sanguineq; & lachrymas pocula mista
bibam.
Vtq; ego tam dura si sim ceruice, cruorem
Quæ neget. hæc mihi pro sanguine det
lachrymas.

Quid-

Quidnam hæc ad tantum faciant scelus extinguendum?
Flumina quid possint? res leuis est lachryma.
Ite oculi, densos lachrymarum fundite aceruos,
Luctibus his nostris conuenit iste dolor.
Et pro fluminibus gelidas diffundite rupes.
Saxa volent oculis, saxeus hic dolor est;
Et chalybem fundant, quin si quid durior illo est.
Paruum est è duro robore secta dare:
Funde animæ ingenti Steropum fabricata camino,
In tam præduro vulnere nil satis est.

Verùm quid saxeas imprecor chalybeasque lachrymas, aut terreor purpureis hisce dilecti mei fontibus, fluminibusque, quasi in terrorem fluxerint? fluxerunt in medelam, in amorem. Sanè amor protrusit, nec ab alio quàm ab amico amore manat

hæc purpura lacrymis tincta: vt me-
ritò inclamem:

Felix ô nimium lacrymarum & sanguinis
æquor.
Felix permistum sanguineq; & lacry-
mis.
Felix ô mihi sanguine prægrauidum tor-
cular;
Innocuo sudans sanguine, Christe, tuo.
Felix illa ratis lachrymarum quæ innatat
vndis,
Sanguineo felix æquore mersa tuo.
Felix illa dies quæ sanguinis æquora fun-
det,
Felix quæ in lachrymas se dabit aquo-
reas.
Felix quæ Christi de sanguine balnea stru-
xit;
Quæq; meis lachrymis æquora nata vi-
det.
Balnea desudent, æternent æquora cur-
su:
Et modò sint æquor, balnea quæ fuc-
rant.

Aequor

Aequor vt aternùm ſudantia balnea iungat.

Balneaq; æternent æquora iuncta ſibi.

Elixô nimiùm qui balnea & æquora miſcet,

Qui vita mortem, ſanguine qui lacrymas.

Nos lacrymis, Chriſtus delicta cruore piabit?

O liceat ſcelus hoc ſanguine depluere!

O liceat miſcere tuo mihi ſanguine vitam!

O liceat lacrymas iungere Chriſti tuis!

Ite meæ lacrymæ, quando miſcebimur ambo?

Sanguine quando tuo, ſanguine quando meo?

Quando ô amor meus? verùm vbi ſunt amoris mei lachrymæ? & vos quid ceſſatis oculi: obſtrmatis ô nimiùm! venis, nouercales reſerare ſinus; è quibus denſis ſuſpiriis denſiores incumbant lachrymæ? vbi tamquã vomere proſciſſæ, ſulcatæ genæ

fletibus? vbi imber è vitrea hac nube protrusus? dura glacies! si nõ solueris ad has flammas, ad hos radios, ad cuius ignes Solemque mitesces? vbi salebrosi torrentes pectoris tunsionibus excussi? aut obduruisti ad hæc exempla Caucaso durior? etiam leænæ, tigridi, crocodilo, suæ fluunt lachrymæ: quis exsiccauit tuas? vbi profuturis mœroribus sudores excussi? vbi amore colati? vbi dolorum impetu salientes? vbi suaui amoris impulsu profluentes? vt non oculi tantùm, sed & singula peccantia mẽbra mœrorem amoremque testentur. Sanguinem quis speret? si non excutit amor lachrymas, elicitq; sudores; quis spondeat sanguinem? facilè nubes pluunt, & glaciem soluere non magnum. Quid aliud oculi? ostia fluminum laxare, fontiumque siphones, nec arduum nec nouum. Venis non dicam exsudare, aut depluere, sed deuomere sanguinem,

magnum,

magnum, & nullis retrò seculis auditum. Posse amorem quod faciat nouacula, quis credat? chalybe hic opus est, non ferro. Et fortior amor est, qui nō vnam soluit in medelam, sed totas deuomit venas. ô si liceat! concede qui solus potes amor. Mentior, si non discissa nube pluant lachrymæ; si non omnibus ostiis fluat sudor; si non deructēt venæ sanguinem; si non adeò innatem lacrymis, sudore, sanguine; si non purpurea hac totus lauer vnda; si non erumpat quidquid clausum venis; si non discussis diffractisque obicibus, exiliat indignabundum ad carceres suos cor ipsum, iungendum dilecto suo, amori meo.

Quid mihi cum hac vita? viuam tibi amor meus. Iungar tibi. Nolo lachrymas, sudorem, sanguinemque, nisi tibi. Tibi oculorum saliant fontes; tibi fluant sudorum riui, tibi sanguinum reserentur ostia, vt non tantùm

tùm tua, sed & purpura nates meas; nec vno satiatus tepescas balneo tuo sed laueris meo. Quàm benè iunctus amor meus est humanæ carni; tam benè lachrimæ, sudores, sanguis mœrentis, pœnitentis, amantis animæ huius lachrymis, sudoribus, sanguini iungentur dilecti mei. Beatæ vestes sanguine amoris mei madidæ! quis me mutabit in illas, vt cælesti hac tingar purpura? beata terra dilecti mei sanguine rigata! quis me felici transmutatione conuertet in illam, vt bibam bibula iam terra, & satier, & inebrier purpureis dilecti mei fontibus? ô liceat! q̃ fortunata cubatione substernar dilecto meo? quàm auidè excipiã quidquid hic pluitur, funditur, erogatur? nihil opus terra aut vestibus: vtriusque vices obibit hoc pectus; hauriétq;, dabitq; lacrymas, sudorem, sanguiné, amoris fontibus fluentem. Non exhorrescitis cælum, terra, maria; aut

statis

flatis sedib⁹ vestris? & tu tellus quousque non subduxisti te conditoris tui lachrymis, sudoribus, sanguini? Vidisti hæc Sol, nec erubescentes retraxisti radios pudore suffusos? Pannus hic sternitur, qui te creauit De⁹, lachrymis, sudore, sanguine tamquam flumine lotus; nec conderis tenebris, aut non renascituræ nocti?

Verùm quid queror de vobis? cur non magis accuso meipsum? nam cui alteri quàm mihi fluxit hic sanguis, sudores, lacrymæ? & durior ego chalybe, rupibusque durior stabo immotus? agnosco crimen. Nec pœnam deprecor. Sit hæc tamen pœna mihi, vt disruptis mœrore visceribus totus profundar amori meo. Non quero cælum, non gaudia, nec mereor. Dolorem precor; vt scisstis quaqua venis, mixtoque sudoribus sanguine, lacrymisq;, offensi numinis mœrorem tester, cùm amorem

non

non possim. ô si hunc possem! sin minùs, optati tamen & tot votis desiderati, supplici prece, amoris depromam vota. Ibunt hæc vicaria amoris mei. Quis scit, an non ad hæc libamina misericordia motus amor meus accurrat, & cadat super collum meum; osculeturque me osculo oris sui; induatq; me annulo & stola prima, occidatque vitulum saginatum, vt epulemur in symphonia & choro; viuamque non mercenarius, sed filius, in domo patris mei: & qui vixi siliquis antè pastus, admouear mensis amoris mei; in quibus bibam vinum inebrians; amoris vinea natum, torcularibus desudatum; æternitatis fortunatissimis cellis depromptum; amorisque adeò manibus temperatum, propinatum: cùm ipse transiés ministrabit decumbentibus, propinabitq; pocula *ex vino condito, & mustum malorum granatorum* suorum, caritatis purpura hilarescentia, nobili

Cant. 8.

ceule-

ceulemate coronata, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi?* Fortunata ebrietas, qua, cùm descendisset in hortum suum, captus dilectus meus, munificentissima dextera sua reseratis cellis promis, lacrymarum, sudorum, sanguinumq; profudit vina. *Inebriamini carissimi.* Nam & ille vino suo, procumbit ebrius. Cant. 5.

O si in hac prodiga ebrietate sua, inclamet animæ meæ, *propera amica mea, colũba mea, formosa mea,* vino meo inebriata, balneo lota, purpura vestita. Addatque, *Surge amica mea, speciosa mea & veni.* Audiamq; amicam illam mihi vocem, *Vox turturis audita est in terra nostra; vineæ florentes dederũt odorem suum.* Vt turturis animæ meæ dolentis ac pœnitentis vox audiatur à te; vineaque mea manibus tuis cõsita, lachrymis, sudore, sanguineque rigata, donet odorem suauitatis: quo illectus audiam illud beneuolentiæ tuæ, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa,* Cant. 2. Cant. 4.

sa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Potuerunt alii in vtroque, & in vniuerſi ſtructura capillaturæ ſuę, quas innocentia iam inde à teneris maritau tibi; me ſolæ Magdalenæ tuæ, Publicani tui lachrymæ iunxerunt tib Cum quibus ſi introduxeris me i cellam tuam vinariam, beatus: quotquot poſt naufragum portu currunt in odorem vnguentorum
Cant. 2 tuorum fulciant *me floribus, ſtipa me malis, quia amore langueo.* Perenn æternùm ille languor, vt æternùm inebrier hoc vino, amoris mei m nibus pocillatus.

CAPVT III.

Chriſto columnæ alligato, flagris conciſo.

HACTENVS flumina, nunc etia lacrymarum & ſanguinum de

preco

precor maria, vt totus iam ego fiam lachryma vna, ipsaque adeò hæc amans anima soluatur in lachrymas. Parum est aqueas in hoc scelere dare? nisi pro lachrymis sanguinem fundant oculi; & singulæ venæ, singuli iam oculi in sanguineos prosiliant fontes, parum dedero. ô liceat! & oculus iam vnus sit totum corpus, qui æternùm sanguinea flumina deuomat cælo reponenda, mariaque cælo refigenda. Fundite meæ venæ, factæ iam mihi oculi quidquid abditum latet fibris, quidquid reconditum extima tegit cutis. Ne parcite. Parcere sæuire est, perdere est. Fundite. Fundere parcere est. Sepositi n. quisquis profudit, cælo redhabendũ fortiore largitione. Verùm reddet fors Dominus ꝙ olim in crucis baiulatione, *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Luc. 23. causam reddit, *quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beata steriles, & ventres*

ventres qui non genuerunt; & vbera qu
non lactauerunt. Tunc incipient dice
montibus, Cadite super nos; & collibus, O
perite nos. quia si in viridi ligno hæc faciũ
in arido quid fiet? & quis amans conti-
neat lachrymas? quis non liqueſce
in illas, tamquam niues ſole medio
tamquam cera fornacibus, ignibu
glacies: amare, & in dira amoris lace
ratione, non flere barbarũ eſt, bellu
num eſt, humanum non eſt. In tant
tãq; ingenti ac contumelioſa flage
lorum atrocitate, ac deuiſceratione
lachrymas ſiſtere, à rupibus non a
homine ſperari poteſt. Et flere veta
bor? dura imperia. Ignoſce amo
meus. Nam quæ grauior pœna et
iam in vltima barbarie nata, quàm

Cùm miſeris nec flere quidem, aut le
nire dolorem

in amantium ſæua dilaceratione l
cet? properate lachrymæ, vt miſt
ſanguineis dilecti riuis quaqua pro
ſilientibus, nouum lachrymarum

& ſan-

& sanguinis firmetis balneum, animarum cœlo reponendarum. Agnosco beatas steriles, fortunataque quæ non lactauerunt vbera vino plena; ne dum succrescit impia soboles, crescan & pœnæ; si tamen in tam dira immanitate pœnæ crescere possunt. neque enim video quid accedere sæuitiæ possit, non si quæcumque retro carnificum ingenia in vnum conflaueris.

Et belluæ quidem mansuetudinis eruditione præuentæ obliuiscuntur non raro feritatis suæ; ita mansuescit leo, & cum toto iubarum suggestu deliciũ fit Reginæ, lingua genas illius emaculans; ita mores bestiam relinquunt. Iudæos nulla præuia Christi mei benignitas, non beneficia collata, cæci reluminati, leprosi purgati, mortui vitæ redditi, mitigant; non olim prosciſſum mare, intestinoq; itinere transmissum, non Ægyptius exercitus vndarum concor-

concordi regressu oppressus; nonne
scatilis cælo rorante pluuia; non fon
petra; non vestimenta ac calceamé
ta quadraginta annis indetrita & in
obsoleta; non terra lacte & melle flu
ens, non hostes subacti, non munen
reliqua efferam barbariem frangen
potuerunt, quo minùs omni verbe
rum feritate sæuirent in innocen
tem carnem. Ad quæ non impelli
mortales odium, vt humana ment
deposita ferinam induant? Verùm
quid quæror de Iudæis, aut ingrati
tudinem tango? non ego ipse dira
huius lacerationis caussa; cùm im
memor beneficiorum, peccata pec
catis, id est, verbera verberibus cu
mulo; sepultaque donorum memo
ria, scelera sceleribus, flagella nimi
rum flagellis innecto? vt nihil iam
mirari debeam, si insonet væ illud
auribus, *quia si in viridi ligno hæc faciũt*
in arido quid fiet? si innocens sæua pla
garum feritate dilaniatur, quid ex

spect

spectare, aut timere debeat nocens, sceleribus tamquam montibus rupibusq; oppressus, criminibus tamq̃ Oceano immersus, libidinibus tamquam Ætnæis montibus inæstuans, & flamma iam totos? sæuitur in viridiligno, operum bonorum succo pleno; quid fiet in arido, ignibus nato, in vacuo viduoque omni melioris succo, in arente, in exsuccido, & emedullato toto? cessabunt verbera? non carnifex sæuiet flamma, non tortor ignis? septuplum vltio dabitur; adeoque & septuagies septies. Audiamus Ecclesiasticum; *Super peccatores enim septuplum. Adhæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames, contritio & flagella super iniquos creata sunt. Sed & substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluuia personabunt.* Eccl. 40. Etiam in posteros abit pœna. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, filiorum peccatorum periet hæreditas, &* Eccl. 41.

cum

cum semine illorum assiduitas opprobrii. Audiamus eundem monentem, *Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi. Hoc iudicium à Domino omni carni. Et quid superueniet tibi in beneplacito Altissimi? siue decem, siue centum, siue mille anni.*

Memento Christi tui, immanissimorumque verberum; memento prætorii sanguine dilecti tui natantis: intuere parietes sanguine purpuratos: vide laquearia virgine purpura tincta; carnifices q; sanguine tamquam valido imbre complutos; & cogita in viridi hæc ligno fieri; vt metuas quid superuentura paritura sit dies. Currunt anni, & vicini iam metę quid speramus arida ligna? non ille sanguis in Iudicii die aduersus nos proferetur, signatus signis non iam aduocatorum aut Angelorum, sed Iudicis ipsius? non omni ille sono clarior, omni litera vocalior, omni tuba elatior; contra nos intonabit,

nabit, damnabitque tot criminum reos? at quis hæc præcauebit? nihil facilius, si modo sanguis ille tam prodigè fusus perpetuò ob oculos versetur. Concupiscentia premit? stimulos intentat libido? opes, honores prouocant, & ad se quasi reluctãtem trahunt? occurrat sanguis, & crudele illud, immane, barbarumq; Christi tui spectaculum, columna, vincula, flagra, effera castissimi & innocentissimi corporis dilaceratio, & audè peccare; hoc dico, itera flagra etiamnum sanguinis auidus. Nam quid sunt aliud peccata, quàm nouæ sanctissimi corporis dilaniationes?

Imitare animæ Christum tuum. Horres ad flagra? palæstram cogita, & agonis diem, in quem segregandus ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vaces, tanto plus de victoria, deq; corona consequuturus, quando durioribus te dede-

ris. Vetus dictum, Virtus duritia ex-
ſtruitur, mollitia deſtruitur. Et quis
poſt Chriſtum reformidabit pati pro
veritate in ſalutem, quod plurimi ſi-
ſectauerũt pro vanitate in perditio-
nem? aſpides Cleopatra immittit ſi-
bi; Aſdrubalis vxor cum filiis in pa-
triæ incendium deuolauit, ne ludi-
brium fiant hoſti; ne ſupplex fiat vi-
ctori Cato, néve vitam accepiſſe
Cæſare videretur, eripuit ferro; me-
retrix Attica demorſam linguam
tyranni faciem exſpuit, ne coniura-
tionis ſocios prodat; & Philoſopho
dum in mortario tunditur, tunden-
ridet. Quid faciet Chriſtianus? dubi-
tabit erogare pro vero, quod illi pro
falſo? gladium illi, ignem, cruces, be-
ſtias, mortaria, tormenta reliqua co-
temnũt ſub præmio laudis humanæ
& nos ſtamus anxii cæleſtibus dona
gloria, corona, æternùm prouocan-
tibus, maximè cùm Chriſtũ habe-
mus ducẽ non vno ferro conciſum

Imi-

Imitare ducem miles. Magis etiam si amas, imitare amantem. Indignus militia est qui gemebūdus ducem sequitur. Ille baltheo dign⁹, qui de Euangelica paratura succinctus, donatiuum Christi inter verbera & sanguinem exspectat; non de myrto & olea aut illustriore fronde, aut cētenariis rosis, liliis, violis; non de molli lecto aut puluillo, de gemmis & auro. Nam quam victoriæ partem speret de delitiis ad aciem procedens? de papilionibus & sudoribus, de fossa & testudine, de lorica & ferro, securus procedit, impauidus hostem contuetur. Nisi quis sub spineo vertice, sub sæuitia dedecorationibus implexa, qua Christi corpus & caput lancinauerunt, triumphum cogitet. Æmulare verbera, si coronā speras; aut si illa non potes, nec præmia cogita. Quæ si amas, memento Christum suos post fella gustasse, nec antè gloriæ Regem à cælesti-

bus salutatũ, q[uam] Rex Iudæorum proscriptus esset in crucem. Nec gẽmas tamen hic desydera, Scythicis & Indicis, & rubentis maris granis candentibus, immensum præstantiores, quas argento adcoq[ue] & operosissimo oblaqueces auro: sed purpura omnes tinctas dilecti tui; quæ sidera, Lunam, Solemq[ue] vincant; quæ in admirationem & amorem trahãt cælestem Patrem. Quot enim sanguinum guttas, nisi tot gemmas legas terra cæloq[ue] nobiliores, erues? Ab illis animæ ornamenta speres, quæ electissimo descrobas auro, animo nimirum amoris ignibus succenso flammis inardescente, & tamquam mediis fornacib. calente. quæ horres gemmas vulneribus natas? breue est quod præluditur, sequetur æterna. Sæuiunt vulnera? sed in salutem. Non & medicinam desiderio, cauterio, & ignibus amas? nonne quod secari, vri, incidi iucundum

sed
Hor
Ita pl
bus g
bera
num
verbe
pecca
maC
retui
minu
& qu
us; ill
Si hi
Q
bere
causa
hasce
resce
atton
Quid
conci
dit Do
amor

sed quod vtiles dolores adferant. Horrorem operis fructus excusat. Ita planè non terreant verbera, quibus gaudia parantur. Sed & ama verbera, vulnera, & sanguinem, æternùm præmianda. Non ama peccatũ verberũ causas. Ama tamen verbera peccatorũ medelam. Magis etiam ama Christum tuũ, qui accensus amore tui vulnera tulit in delictorũ criminumq; tuorum pœnam. Tu reus, & quot scelerum, tot pœnarum reus; ille scelerum insons pœnas subit, Si hinc exulat amor, vbi sedem figet?

Quid palles ad hæc vulnera? rubere debuisti, tantorum vulnerum causa. Quid expauescis ad immanes hasce dilacerationes? peccata exhorresce sæuitiæ causam. Et quid hæres attonitus, & assequi desperas? ama. Quid leuius amore? nec iam dico, concidaris *iuxta exemplum quod ostendit Dominus*. Sed ama. Quid facilius amore? & intuere propiùs. Nulla *Num. 8.*

Vulcania incude frequentiùs validiùsq; densantur verbera, quàm Christi tui sacrato corpore. Ac ne sola quadam amoris satieris superficie, non vestibulum tantùm aut atria lege magnæ domus huius, penetralia scrutare, intima quęq; curiosus scrutatur intuere. Vide amorem Christi tui cordi infixum, inscriptum pectori. Nec claustra prætexas. Reserata vndiq;, patent aditus. Audacter infige pedem. Quid trepidas? amoris domus est. Ingredere. Expauescis ad sanguinem? medicus est. Quin & lauare hoc balneo. Etiam sanguine? nulla re magis. Non crudele est sanguine lauari? etiam bibe. Ne expallesce ad hoc nomen. Quin & carnibus saturare. Tibi hæc caro nata est, tibi fluxit sanguis. Fruere animæ; satiare. Lauare. Fontes fluminaq; hæc tua sunt. Proluere hoc amico balneo. Accendi etiam vis potentiùs oppone verberib. corpus, vt non nisi

per

per latus tuum verbera sentiat dilectus tu⁹; vt antè sanguine tuo rubeat, tuo proluatur, quàm fundat suum. Felicem te, si imbiberit tuum Amor tuus, si miscuerit suo, si dissectus cõcidas ad pedes illi⁹, melior iam Magdalena, quæ solis lacrymis capillisq; amplexa est; melior Publicano, qui solis pectoris tunsionib. oculorumque deiectionibus *descendit iustificatus in domum suam.* Luca 18.

Largire hoc mihi amor meus, vt nulla tam barbara sæuaque sit laniatio, quam non lubens subeam amore tui. Pro qua non gaudeam & exultem totus, quod dignus habitus sim pro amore tuo omne carnificis ingenium experiri, omne lassare; qui pulsus amore mei prior hæc tulisti in exemplum & amorem. Amplector te amor meus, non in cocco & Tyrio, aut molli serico, sed dissculptum & dissectum; nec cruoribus tantùm aut vibicib. luridatum, sed vul-

neribus immane hiantem. Ita non satis amori tuo fuit semel pro amato mori. Sæpiùs voluisti, quo magis testareris amorem; vt vel sola erubescentia delictorum meorum, vulnerum tuorum, auocarer à scelere assurgerem in amorem. & sanè si singula verbera, singula proritamenta sunt amoris; singula vulnera, singulæ flammæ sunt amoris; singuli fontes, singula flumina deuomunt amoris; quomodo non totus ex ignauo somno surrexi in amorem? non totus decineratus sum amoris flammis, fulminibusq; tam validè è columna iaculatis? non totus denique tot fluminum fluctibus obrutus & demersus iaceo? ô vellem! tu manum amor porrige. Solue hanc amoris tui radiis pectoris mei glaciem; comminue hanc amoris tui malleis indomitam rupem; deuerre hunc amoris tui flatibus, superbiæ montem; elue has amoris tui sanguineo Oceano animi

mei

mei sordes; vt nihil iam sapiam, nihil ambiam, nihil amem, nihil amplectar extra te, & te columnæ non iam marmoreæ, sed purpureæ allgatum.

O quando hac purpura tinctus totus coniungar tibi? secede mea columna, ego vicariam tibi operam præstabo factus columna dilecto meo, nobili amoris mei Regis mei sanguine purpuratus. Beata tunc vincula, quib. adnectar dilecto meo. Odi libertatem, amo vincula. Felicia planè vincula, quibus fortunatissima iam columna illigabor dilecto amori meo, sanguine illius marmoratus, sanguine, sudore, lacrymis variegatus, & tamquam Oceano lotus. Saluete mei fluctus decumanis meliores, quibus secundo amoris flatu nauiget hæc anima nauis, nullius tempestatis pauida. Nam quid verear? aut enim ducibus his ductoribusq; votiuum portum littoraq; tangam;

aut iactabor his diutiùs fluctibus optata iactatione dilecto meo implexus; aut obrutus tandem demergar illis; plenusq; iam amico fluctu ebriusque, nihil eructabo, nihil deuomā, nisi amicum mihi Amoris elementum. Quò & ego, & Amor meus æterna saturemur tot antè lachrymis precibusq; exoptata saturitate, mutuis vicissim haustibus fortunata potatione, mutuam æternùm auidam amoris sitim explentes.

CAPVT IV.

Votum è spinis Christi vertici implexis.

QVÆ hæc corona est, dilecte mi? quæ mater filium, quæ sponsa sponsum coronauit spinis? rosas exspectabam à matre & sponsa, & spinas vĭdeo. Olim nullam propè non gratiam floris, nullam lætitiam frō-

dis,

dis. nullum ceſpitem aut palmitem, non alicui capiti inuenio conſecratum. Video populum, oleaſtrum, apium, palmitem. Hederatum vnum, laureatum alterum; ſpicatam nõ vnam, auro, gemmis, ſed & gramine coronatam. Et nuſquam ſpinæ. Niſi fors hæ ſpinæ roſas ſuas quærunt, odore gloriaq; ſua viduatæ: & commiſeratione tactus dilectus meus exulantium à roſis ſuis ſpinarum querulas admiſit voces. Et cui poterant odoratiori roſæ implicari ſpinę, quàm vertici dilecti mei? nimirum non poterat carpi hæc roſa niſi ſpinis implexa. Aberant ſpinæ. Solitaria mœrebat roſa, donec adnexæ ſpinæ languentem excitarent roſam. Pallebat roſa. Et ni nouus accederet color, tamquam noua anima, timeri extrema poterant, & amantis deliquia roſæ. Acceſſerunt ſpinæ, nouusque cum ſpinis color. Et iam purpureæ roſæ. Emarcuerat odor. Admotæ

ſpinæ. Et terras cælumq; implento odorato, ô nimiùm, imbre.

Beatæ ſpinæ tam illuſtri veſtiteq; roſa, tam odorato circumfuſę rore, tam medico inebriata ſucco: poterant meliori flumine circumſtagnari ſpinæ, poterant meliori potari? potę ăt emortuæ certiori vita donari? poterant tarentes & tamquam à canicula, aut Babylonia fornace, aut Epuloniis deniq; ignibus inæſtuantes benigniore fonte & digito rigari? Eueniant hæc mihi. Naſcarq; ſpina huic roſæ, regio fonte & odore ſaturandus. Sim ſpina cæleſti hoc rore perpluendus: nobiliq; hoc defluo cocco Tyrioque purpurandus. Aret ſpina; magis hæc amans anima. Perpluitur illa roſeo rore, & redit optatus viror vigorque. Perpluar ego. Et non validiùs viuam, melioreque vita? vt quæ ſemel nupſit animæ caro, dotale illius facta mancipium, & delicto etiam domina, non iam domina aut famu-

famula, sed adnectentib. spinis, purpurantibus rosis, consors fiat gloriæ cælo donandæ. Non més criminum sopore elisa miseréq; prostrata, tamquam aut spiritu nondum conlato, aut erepto, admotis spinis purpuraq; ab ignaua quiete reuiuiscit, & exsurgit in nouum hominem potentioremque? felices morte vestra spinæ. Quæ nisi excisæ trunco tamquam matris vtero solis ignibus nato, cælesti huic inoculatæ forent roseto, flammis viuerent nutriendis.

Et non ego sæuioribus ignibus natus noxio primordiali trunco delapsus, profundioréque oppressus somno, meritò circumspicio humeros verticemque, cui inoculatus redanimer mente spoliatus: langueo, & grauem iam animam traho. Quid nisi purpura tingar dilecti mei, qua reuocetur anima à statione sua peregrinata, erepta spiritui nequam, qui ab ipsa illi natiuitatis ianua aucupa-

cupabundus inhæserat? palleo anima fugien e. Quis sistet abeuntem, aut meipsum restituet mihi, si non purpureus fons tuus dilecte mi? verùm vbi regius splendor, diadema & sceptrum? & tamen Rex es tu. Quis regium verticem coronauit spina? auro & gemmis & purpura non vna gens cinxit. Procul spinæ nouercalia pignora barbara implexa manu. Vbi triumphantium paludamenta? & tamen de hoste omnium ferocissimo, potentissimo, exercitatissimo, nobilem triumphum ducis. Vbi quęcunque docta manus lusit in ornatum? vbi gemmæ & aurum, & quidquid exornatam ac naufragam formam votiuo redornat decori? vbi herbarum succis, concharumque aluis purpureæ coccineæque decoctæ lanæ, solo non rarò precio graues? purpuram intuere dilecti mei, qua illum vestiuere spinæ meæ, omnium seculorum precio grauem. Rosam

hanc

hanc intuere immersam spinis, spinasq; purpureo innatantes rosæ fucco. Vincit terrarum cælorumq; pretia rosa mea. tantumq; vincit, quantum æterna interminaque perituris præstant.

Non amem te mea rosa? non vos spinæ meæ, sine quibus omnis exuleret purpura à rosa mea? mentiar si non amem. Quid ni amplectar iam meam? mihi enim rubet rosa mea. Pallebat sibi: erubuit mihi. Solo sibi candore contenta niueo, tollebat verticem liliũ veriùs quàm rosa. Accessit amor, & amor meus, arentibus excitatus spinis, & erubuit flos meus, rosa de lilio nata. amplectar ergo rosam iam meam. Vetant spinæ? *Quid metuis spinas eliciture rosas?* aut quid vereris animæ minas, & expalleſcis ad spinas? viri est non terreri minis; muliebris ingenii hic error est. Sanguinem fors deposcent? etiam combibant sanguinem. Nam quid beatius,

tius, si commisceantur, dilectæ rosæ meæ, & peccatricis huius amantis tamen animæ, purpureus rubor? optata cõmistio, vt & ego rosæ meæ, & illa meo purpuretur succo; vt vtrimq; pulso pallore suus stet rubor, pœnitentis in illa, amantis in hoc vertice; vt mistum diuinum illud humano concrescat in vnum corpus, animam vnam, optata tot votis in omnem æternitatem seculorum mistione.

O rosa! non tam rosa, quàm cælum iam meum. De mortuo simile iacebat hoc mihi calum, tam quam densa nube altis sepultum tenebris. Admotæ spinę. Et ecce tibi lumina, non lapillorum quibus monilia variantur, sed stellarum quibus cælum inoculatur. Non amem vos spinæ, quæ denubilastis mihi cælum, detenebrastis mihi firmamentum meum spissa delictorum nocte tectum? amo. Adeoque deamo vos spinæ, quæ profundis

profundis recõditum tenebris stellatum mihi, & oculeum totum dedistis cælum. Errabam in illis, nec via, aut viæ iam dux super. Tristis vbique nox & caligo densa. Ademere noctem spinæ: & cælum nunc totum radiat stellis. Quarum singulæ singulos Soles tam vincunt, quàm cælum meum, elementarium vincit cælum. ô stellæ iam meæ, quia mihi natæ. Non deerat antè cęlo suo sua lux: deerat mihi. At quid proderat mihi cælo inesse suam, deesse mihi? reptabam volũebarque cæcus, manibus magis quàm pedibus inambulans miser. In tanta nocte ductore destitutus quò flecterem gressum? accesserunt administratoriæ spinæ commiserantes errorem meũ, & vno implexu tamquam vna reductione veli, stellatum cælum, totque Solibus quot stellis inornatum, ostenderunt per incerta erranti.

Non amem vos spinæ? amo vos.

& vos

& vos meæ stellæ, Soles mei, tantùm miseremini huic Lunę. Quæ sine vobis semper inconstans & varia, numquam vna: semper tenebris sepulta iaceat infelix, obscura, languēs, mortuo quàm viuenti similior. Amo vos stellæ permistæ licet spinis; imò quo magis commistæ spinis, eo magis etiam meæ. Meæ etenim spinæ sunt: nihil in illis habet cælum. Meæ sunt. Nihil innocuæ mentes, criminis aut sui aut alieni ignaræ. Meæ sunt, & in solidum meæ. Non fuisset primordiale delictum, non accessisset meum, nihil opus mihi erat spinis, quæ de mortuo mihi cælo, stellas, Solesque largirentur prospectandos. Meæ ergo spinæ. Et quia meæ spinæ, meę etiam stellæ. Et quo plus à manu mea spinarum, hoc plus etiam stellarum. Beatæ stellæ. Magis etiam, quia mea, ignorabam antè hoc cælum. Eluxerunt stellæ, & patuit cælum. Fauę meum cælum. Misceanturq; tua lu-

mina tenebris meis, vt fiat lux vna. Et non iam vltrà nox, sed dies vna, nullo fine ponenda.

Sed neq; hic cælum mihi tantùm est stellæque: sed nobile donatiuum, nuptiale pignus, dotale pręmiũ. quo sponsi mei pater larga munificentia felicem donarat spõsam, adoptiuam filiam. Verùm lumina deerant, quibus monile exornaretur cælo missum. An non mortuum sine gemmis, & tristi quodam iacebat subalbido splendore, nulla varietate distincto? memineram argenti & auri. Sed quò mihi diuites hæ materiæ de metallis refodiendæ, si ferri & æris operario vigore non producerentur in aream? idem de hoc dotali sponsi mei pignore cogitandum reor. Quo mihi monile hoc magnum, & solitario splendore suo sibi contentum; nisi luminibus margaritarum, tamquam cælum stellis inocularetur mihi? nec longè tamen petenda.

da ornamenta erant: quasi necessum foret Indica piscari maria, aut concharum decerpere verrucas, aut draconum insidiari frontibus, vt de periculis æstimatio cresceret, aut è piscium nescio quorum cerebris lumina poscere; intus latebant gemma prædiuite monilis nostri reconditorio sepultæ. Verùm quò mihi abdita preciositas tamquam thesauri defossi, si non educeretur in lucem & frui liceret? eduxerunt spinæ. Non saltus aut insulas, aut annorum calendaria, aut imperia regnaque, sed quæ nullo æstimari precio, non orbe cæloque: sed quæ nullo æstimari precio, non orbe cæloque possint toto. Totumque hoc pign⁹, verticem dilecti mei, tot irradiarunt luminibus, distinxerunt gemmis, exornarunt pyropis, vt quidquid Euangelista de Hierosolyma cecinit cælesti, cuius muros posuit ex iaspide; fundamenta verò ex iaspide, saphiro, calcedonio, smaragdo,

ragdo, sardonyche, sardio, chrysolitho, beryllo, topazio, chrysopraso, hyacintho, amethysto; portasque è singulis margaritis; plateas demum exauro mundo tanquam vitro pellucido; ne vmbra quidem sint gemmarum nostrarum felici spina eductarum. Amo vos meæ gemmæ, quæ decorastis dotale pignus meum, in die desponsationis sponsi mei. Fruere anima mea sponsa purpureo gemmeoq; cultu ornatuque, sponsi tui. Tibi dies ille luxit. Tibi splenduerũt gemmæ. Carpi audaci manu. Satis ad audaciam est, amasse. Neque vllum vltrà ornatum admitte prẽter sponsi tui purpura signatum, purpureisque illius gemmis variegatum. Fruere anima mea dono spinarum tuarum: & ama has spinas indices, quæ fortunata retectione, inlatentes sponsi tui retexerunt gemmas. Amplector vos meæ gemmæ, quæ fluxistis mihi. Satis si fruar vobis. Cælum concedam aliis.

aliis. Vos enim mihi cælum, & cælo omni maiores: delitiæ meæ, gaudiũ meum, voluptas mea, corona mea, triumphus meus. Sit æternùm, vita æternùm fruar vobis.

Neque interim hic steterunt beneficia spinarum mearum. Phialam acceperam odoramẽtorum plenam, connubialis pignoris partem; sed valida obseratam manu, firmioribusque repagulis, quàm ferret amor impatiens claudi. Reserarunt spinæ. Nec vlt à iam clausus odor. Qui non tenera muliebri manu fracto alabastro, in verticem ac pedes diffusus impleuit domum; sed valida spinarum mearum reseratione terrasque qua patent, cælumque odoratissimo perflauit odore, æternùm victuro. Quibus excita inclamat sponsa admiratione plena, *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata: odor vestimentorũ tuorum sicut odor thuris.* Mg

Cant. 4. Cant. 1

etiam è penetrali pectoris, *Oleum effusum*

fusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Ita etiam medico odore sponsam beat dilectus meus. Properate quos ægritudo aut vulnera tenent à quocumque hostili manu aut ferro data, quocumque scelere impressa: & ægritudini, & vulneri, & cicatrici medebitur hoc vnguentum, quod dilecti mei purpurauit genas, tinxit capillos, irrorauit vestes, aridasq; perunxit eductrices spinas, quæ criminum meorum vicarias in hac eductione occuparunt vices, vt sperare iam omnia debeam tam medico delibutus vnguento.

Neque opus hic natatoria Siloë, aut Iordanis aquis melioribus Abana & Pharphar Damasci fluuiis. Natare purpureo hoc dilecti vnguento tam prodigè fuso, quàm prodigè amauit, mēs hæc de facili poterit. Nihil etiam opus virga, de qua comite

petra

petra contradictionis aqua defluat sitienti. Natare purpureo hoc fonte vertice dilecti spina terebrante educto nullo negocio possumus. Vtomnia mihi in hoc fonte, omnia in hoc odorato vnguento quocumque voto speranda, lateant: vt frustra iam mannę escatilem pluuiam, aut aquatilem petræ desiderem sequelam, cui melius depluat manna, nobiliorque fons saliat, non nube ventisq; administris, aut largitrice petra, sed sponsi mei, dilecti mei diuite vertice venaque profluens. ô quando pascar hoc manna, quando potabor, adeoque inebriabor hoc fonte, abluar hoc flumine, lauabor balneis, innatabo Oceano, perungar vnguento, exornabor gemmis, inoculabor pyropi locuplete, ô nimiùm, vertice defossis?

Audeo. Quando infigam oscula purpureo madidata rore? vnde vox illa turturis mei querula, *Aperi mihi* Cant. 5

soror mea, amica mea, columba mea. Addit causam languentis à profusione amoris, ac quasi viribus destituti, ac iamiam abituræ animæ in commiserationis prouocamentum, *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Purpureo amoris mei innatabat hoc caput rore, delictorumque meorum guttis per intempestas scelerum noctes prodigè stillantibus densabantur cincinni dilecti mei, cùm inclamaret opperiens, *Aperi mihi soror mea, amica mea.* Adeò nec fuso extingui sanguine amor potuit. Quin imò, quo plus spinarum in vicem criminum meorum, quoq; plus purpurei roris, hoc & amoris amplius desudabat, profundebatq; locupletiore vena; nihil aliud in vicẽ profusi sanguinis poscens, q̃ amari, quã reserari sibi ostia claustraq;, quo facilius nos perpluamur purpureo amoris stillicidio, imbreq;, quo cincinni illius madent. Amo cincinnos

Cant. 5.

rore ſpiniſq; implexos. Amo te meũ nemus melioribus paradiſiacis pomis grauidum.

Nam quò mihi arbor vitæ, ſine his ſpinarum pomis purpura lotis; ſine hac vita, à qua olim illi arbori vitæ omnis fluxerat? quò mihi ſcientia mali & boni arbor non bona? perieram hac vna æternùm, niſi de fœcũdiore pomerio ſpinæ mihi purpureæ eduxiſſent poma, non boni & mali, ſed boni tantùm: vt meritò te amem arbor mea infelicis illius arboris exterminatrix. Meritò vos fructus amo primordialis vulneris & cicatricis medicos. Quàm pulcri ſunt cincinni tui, dilecte mi, regia purpura veſtiti? verè *comæ capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Quid faciã nisi vt aſcendam in nemus verticis dilecti mei, inque nemoris illius *palmam, & apprehendam fructus eius?* dulces enim ſunt ſuper mel & fauum, & ſapidiſſimæ vineæ botros. Et quã

Cant. 7

ama-

amabat, quasi in hæc tempora ante-prouida notione prospiciens, suaue illud intonabat, *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Cant. 1 Verè, botrus dilectissimæ ex millibus vineæ, cui benedixit Pater, & inebriauit amantes ab vberibus fœcunditatis eius. Quousq; morabor? egrediar vt in iucunditate bibam, & inebrier à vino dilecti mei. fortunatę spinę quę reserarunt mihi hanc vineam, hæc torcularia, hæc vasa vino plena.

Felix corona tot scaturiginum, quot spinarum fœcunda. Ingredior vt in illa videam dilectum meum *in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Cant. 3. Verus desponsationis dies, qua filium suum animæ meæ desponsauit cælestis Pater. *Sponsus sanguinum* Exo. 4. est mihi ille, amplectar illum quasi spõsum decoratum corona, & quasi spõsum ornatum monilibus suis, imò & meis; spinis nimi-

rum meis vicariis delictorum meo-
rum, quib. exornatus processit spon-
sus meus in die lætitiæ cordis sui, cũ
gaudio plenus super desponsatione
mea, & potenti vendicatione à seru-
tute qua durissima premebar, in pri-
stinam me asseruit libertatem valide
dexteræ suæ robore; quo fortem ar-
matum superatum, spoliis & armis
Iud. 1. exuit, quibus confitebat & *gloriabi-*
tur quasi potens in potentia exercitus su-
& in gloria quadrigarum suarum, &
victoriis triumphisque de orbe pri-
pè toto non semel actis. Contriu
tamen illum athleta meus, per spina
cruciatusq; tam quam in palæstra v
ctoriæ paratus; lorica, clypeoque p
tientiæ tectus, omnibus hostium i
culis retusis nobile vex llum dei
mico dilectæ sponsæ, cælo terraq
spectantibus exstruxit, extulitque
mnem patientiæ speciem aduer
omnem diaboli vim expunge
cùm soli dilectæ suæ purpurare

purpu
menta
clauos
suæ ;
quidq
tem di
Fel
sponsu
aduers
cumq
licet r
sissimi
mis conf
in omnip
nientes a
dum vno
exultab
purpur
tra om
Fiat tan
super m
tis spon
& non e
alius in

purpureo imbre suo delibutus, tormenta ridens, vincula, spinas, flagra, clauos, crucem sub præmio sponsæ suæ; cùm non dubitaret erogare quidquid cælo possederat in libertatem dilectæ suæ.

Felix anima, quæ innixa super sponsum hunc suum non metuit aduersarias acies, non hostes quibuscumque finibus accitos. De quibus licebit mihi hoc Machabæi generosissimi pugnatoris, *Nam illi quidem armis confidũt, simul & audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest & venientes aduersum nos & vniuersum mundum vno nutu delere, confidimus.* In hoc exultabo fiducia plenus, & explebor purpureo illius rore, firmaborq; cõtra omnem regnorum potentiam. Fiat tantùm dilecte mi manus tua super me, manus Patris & adamantis sponsi, *Neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.* Sed *neq; alius in cælo vel in terra, qui possit facere* 2. Machab. 8. 1. Reg 2. Deut. 3.

opera tua, nec comparari fortitudini tuæ. Transibo ergo & videbo. Nam auxilium meum à te, & à te solo. Fiducia & spes mea, gaudium & corona gloriæ meæ, delitiæ meę, amor meus. Magis etiam post spinarum missilia & stillicidia, & purpureum imbrem. Quo emarcida & ô nimium sterilis cordis mei terra delictorum æstu emedullata, purpureo hoc desterilescat dono, fœcundetur rore, centupla redhibitione æternùm beanda, muneranda.

CAPVT V.

Ad Pilati verba, ECCE HOMO, *Christum designantia.*

NON credo. & habeo suffragantem Dominum, *Ego sum vermis & non homo; opprobrium hominum & abiectio plebis.* Et quæ hæc species hominis *Psal.21.*

minis? caput quæro, aurum illud optimum; & nihil præter horridas spinas reperio, & ſtãtis iam ac emortui ſanguinis digitales grumas. Vbi comæ capitis tui ſunt? vbi purpura Regis vincta canalibus? cadaueroſo ſanguine implexam video. Oculi, amoris mei lampades, vbi eſtis? ô Soles, cæli huius maximi, vbi amica quondam mihi lux? ô flammæ, vbi ardor, calorque quondam veſter, quæ vno obtutu, tamquam validiſſimo fulmine pectusque corq; ipſum tot reconditum clauſtris ſolitæ peruadere? & iacent deiecta hæc nunc lumina, tamquam rupibus defoſſa; & lucidiſſimis diebus denſiſſimæ ſucceſſerunt noctes? quò nunc veſtigia flectam in his tenebris facula deſtitutus? quam ingrediar viam Sole obtenebrato? Lunam meam, veram matrem Solis mei magni, vicariam in ducem deligam? nulla iam Luna eſt Sole vniuersùm tene-

brato. Aut si quæ Luna est, lumen omne refudit suo Soli. Ita mortuo soli lux omnis consepulta iacet.

O aliquando mihi Soles, sideraq; felicia prosperi cursus mei nuncia, quibus maris salubria noxiaq; temperabam flamina, quibus, certantibus inter se tenebris, vento, procellis, lassis inualidisque rebus, vltimoque discrimini proximis, eripiebat periculo meo felix; vbi lumen nunc vestrum? vbi *genæ areolæ* quondam *aromatum consitæ à pigmentariis*? vbi rubor candorque illarum? siccine emarcuit color optimus? video buxeo quodam liuore deiectas, dexterasque spirantes armatas, alapasq; & sputa, fœdaque crapularum eructamina. Et ille vultus est in quem desiderant angeli conspicere? sputaminibus permistas video lacrymas, sanguinemq; densè stillantem. Verè *sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*: sed emortuum fragmen, & tabe sua languidum,

Cant. 5.

Cant. 4.

guidum, purpuraq; sua derosum. vbi coccinea *labia* tua *distillantia myrrham primam*? nil præter liuores video, & fragmina verius quàm labra. Et non olim *Fauus distillans labia tua, mel & lac sublingua tua, odor oris tui sicut malorũ, guttur tuum sicut vinum optimum*? quod nunc nihil deuomit præter sanguinem, excussorumque dentium rudera. & fella nunc potiùs quàm mella lego, absynthium veriùs quàm vinum: vt quas intẽtauerat minas populo suo; *cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis*, eas ipse pro delictis illius, primus tulerit, iuxta illud Prophetæ: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio*, cùm ipse inebriasset populum suum vino: à quo; pro vino absynthium fellaque in beneficiorum compensationem retulit. Vbi *collum tuum sicut monilia, sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*? omnis

Cant. 5.
Cant. 4.
Cant. 7.
Hier. 9.
Thren. 3.
Cant. 4.
Cant. 4.

nunc armatura verberum? ille vulnera pendent ex eo, amantis animæ valida propugnacula. Quibus munita nullam inimicam vereatur aciem, hostilem incursum nullum, insurgant agmina ferrumque; munimenta hæc vulnera sunt omnem aduersariam aciem, vt paleam vento agitatam, excussura, vt fluctus temerè rupibus incurrentes, repercussura. Vbi brachia tua, manusque *tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*? vbi pectus Sole lucidius, *ventereburneus distinctum sapphiris*? vbi *crura columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*? vbi *speciosus ille præ filiis hominum, Quasi aurora consurgens*, pulcer vt Luna, electus vt Sol, *terribilis vt castrorum acies ordinata*; totus deniq; *candidus & rubicundus, electus ex millibus*, nitidior lactus candidior niue, rubicundiore bore antiquo, sapphiro pulcrior? at nunc, *quomodo obscuratum est aurum; mutatus est color optimus? argentum tuum*

Cant. 5
Psalm. 44.
Cant. 6.
Cant. 5
Thren. 4.

versum

versum est in scoriam, vinum tuũ mistum est aqua. Reputatus es in vas testeum, *opus manuum figuli.* Quid dicam? *cui comparabo te, vel cui assimilabo te* dilecte mi? cui *exæquabo te, & consolabor* amor meus? *Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* quis medebitur mei, nisi hic sanguis vulnera q; dilecte mei? *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super* dilectum meum. *Hæccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ* adeo q; hæccine est Hierusalem illa cælestis, habens *claritatem Dei: & lumen eius simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis sicut crystallum?* cuius *fundamenta omni lapide pretioso ornata,* iaspide, sapphiro, calcedonio, smaragdo, sardonyche, sardio, chrysolido, beryllo, topazio, chrysopraso, hyacintho, amethysto? cuius *duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & plateæ aurum mundum tam-*

Isa 1. Thren. 4. Thren. 2.

Apoc. 21.

quam vtrum perlucidum? hęc est illa descendens de cælo in vterum virgineum, inde in Bethlehem, in vbera, in vincula, & flagra, in coronam spineam? vt meritò tamquam à prætorio Pilati inclamet, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. Quoniam vindemiauit me, & loquutus est Dominus in die iræ furoris sui,* cùm puniret in dilecto meo scelera mea, quæ supergressa sunt caput meum; & sicut arena quæ est in littore maris multiplicata sunt. Ideo ait, *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea* ab immanitate vulnerum meorum; & *effusum est in terra iecur meum,* dùm sæuiunt etiam in interiora flagella populi mei; *& non est qui consoletur.* quod solamen ego sperem in ignibus semper ardentibus? *omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quia viderunt ignominiam* meam. ipse *autem gemens* cõuersus *sum retrorsum.* quid?

Thren. 1.

Thren. 2.

Thren. 1.

quòd

quòd non sit *qui conſoletur* eum *ex omnibus caris eius. Omnes amici eius ſpreuerunt* eum, *& facti ſunt ei inimici.* hinc illæ voces commiserationibus plenę, *Idcirco ego plorans; & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me conſolator conuertens animam meam: facti ſunt filii mei perditi, quia inualuit inimicus.*

Non magnum fors esset, si soli oculi deducerent aquas; & non vniuersum corpus sanguinum profunderet flumina; vt non nullus ei decor, sed nec humana supereſſet forma. Scelera quid non possunt mea! aut quid ego sperem tot criminum reus? quid non metuam in die Domini magno terræmotibus & elementorum collisionibus prænotando? *Super hoc plangam & vlulabo. Vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* Nam si in innocente hæc euenerunt, in nocente quid sperandum *Mich. 1*

dum est? aut quid vltrà dicam delitiis plenus? quousq; lactor inani spe; & è purpura, conuiuiis, voluptatibus, opibus cælestia spero? Ecce

Psal. 21 HOMO. Quid dicam? *Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis*: adeoq; *in puluerem mortis deduxisti me*. Nec vltrà mihi superest anima. *Quoniam circumdederunt te canes multi. Consilium malignum obsedit te. Foderunt manus* tuas *& pedes* tuos, *dinumerauerunt omnia ossa* tua, quæ nudauerant scelera mea, foderant delicta mea. *Circumdederunt te vituli multi, tauri pingues obsederunt* te, effrenatarum voluptatum mearum, & deliciarum sæculi. *Aperuerunt super te os suum sicut leo rapiens & rugiens*, peccata mea, quibus indignationem iram que æternùm sæuientem merui; maximè cùm tamquam non vna cõtentus rabie, tot repetitis vicibus iteraui furores, crimina criminibus, flagella flagellis, ignes ignibus inne-

ctendo.

ctendo. Ideo *factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio vẽtris mei*, dum intueor te, & recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Ego sum qui peccaui, tu quid meritus es amor meus? nisi quia *posuit* *Esa.53.* *Dominus in* te *iniquitatem omnium nostrum. Vulneratus* enim es *propter iniquitates nostras*, *attritus* es *propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super* te, *& liuore* tuo *sanati sumus.* Quid rependam tibi amor meus? *bonis* enim *Tob.12* *omnibus per te repleti sumus.* Maximè cùm audio vocem illam lamentationis & væ, ECCE HOMO. Vox tristis & acerba nimis. Quò tendis amor? aut quò rapis amantem? *Non* *Esa.53.* *est species ei neque decor. Vidimus eum, & non erat aspectus; & desideravimus eum.* Quia non erat ille desideratus gentibus. Vidimus *despectum*, *& nouissimum virorum*, *virum dolorum. Et quasi absconditus vultus eius & despectus, unde nec reputauimus eum.* Quis

crede-

crederet eundem, in quem desiderant angeli prospicere, cælorum voluptatem, alterius seculi delitias; & qui *Languores nostros tulit, dolores nostros portauit*; quem intuemur *quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum, & cum sceleratis* reputatum, propter peccata nostra? quid fiet de nobis in ignibus æternis? in irrespirabili, inextricabili, inenatabili profundo? vbi corpora vruntur & durant, erogantur & reparantur; vt Ætnę montes ignis intrinsecus fœti, cùm deuorantur non finiunt, cùm exuruntur non absumuntur. Et quid sunt hæc montium supplicia, si non tanquam leuia quædam missilia, & exercitatoria puerorum iacula ignis æterni? dura æternitas. Et tamen quis mirabitur æterna; qui Christùm viderit, pœnasque in innoxio corpore sæuientes? qui audiuerit, *Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.* Instar vilissimæ aquæ effusus sangui-

Psal. 21

Regis

Regis nostri, dilecti nostri, mundi precium. Nos nec lachrymas fundimus, in tanta peccatorum mole, cælorum exilio, inferorum pœnis. Vbi sudor, vbi sanguis? vbi carnium lacerationes, ossium dispersiones? & stamus in tanta laniatione luctuque amoris nostri, & non tabescit anima nostra, non exarescit, *& facta est quasi lignum*? cùm videmus Propheticas has prænotiones opere completas, *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum. Saluum faciat eum quoniam vult eum.* Non satis erant immitia & qualia nulla retro secula flagra viderunt, nisi & spurcum blasphemiæ spiritum sacrilego ore deuomerent; caueamus ne in nouissimo rideamur à iusto nimiùm Iudice omnis commiserationis ignaro: ne serò fluant non profuturæ lachrymæ. Dum tempus patitur, amplectamur profutura: & intueamur in exem-

Thren. 4.

Psal. 21.

exemplum Prætorio datum. Nam quid venamur in hoc seculo? opes? audiamus Dominum, *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.* Et, *Facilius camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Aut mentitur Dominus; aut falluntur qui accumulandis insudant opibus. Voluptates? audi Sapientem, magnum è se magistrum, *Fauus distillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius; amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.* Honores? transeunt *tamquam vmbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam nauis quæ per transit fluctuantem aquam. Aut tamquam auis quæ transuolat in aëre, aut tamquam sagitta emissa. Et spes impii tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tamquam spuma grauis, quæ à procella dispergitur, & tamquam fumus qui à vento diffusus est, &*

Luc. 6.
Luc. 18.
Prou. 5.
Sap. 5.

tam-

quam memoria hospitis vnius diei præteruntis. Et vbi honores, voluptates, opes in hoc corpore, inter hæc derosa, dissipata, dilaniata, & in sanguine suo squalentia membra? quid amas Christiane? erras, si ab amore illius aberras, qui aspera duraque præelegit mollibus. Et rare non potes, si ducem miles sequeris; errare potes, si alia insistis via. Quid neglectis certis dubia diligis? æternitas in medio est. A delectu hæc pendet. Quid hæres dubius? certa incertis antepone. Non agitur de perituris, & quæ melior fortuna corrigere potest. De æternitate hic agitur, felici, infelici. Delige. Sed durum est sequi. Nimirùm nocentem & reum durum erit sequi innocentem. Et non durum erit flammis exuri æternis, pœnis cruciari æternis, nulla spe veniæ, miserationis, mitigationis nulla? & non *id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ,* 2. Cor. 5.

supra

supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur? quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Non Lazarus pro non longi temporis tolerantia, æternum in sinu Abrahæ refrigerium consecutus; contrà diues pro paucorum annorum delitiis in æterni tormento ignis constitutus, alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compensant, in spei timorisq; secuturum exemplum? quis non deligat exitum præmiaque Lazari? sequatur vitam. Quis exitum voueat pœnasq; diuitis? fugiat mores. Maximè cùm oculos coniecerit in hunc ex homine vermem, & opprobrium hominum. Allicit peccatum? intuere hæc vulnera, frontem, oculos, vultum, corpus vniuersum. Et cogita ad singula criminum proritamenta inclamentem, *Populemeus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? re-*

Mich. 6.

spon-

ſponde mihi. Et ad vniuſcuiuſque animam: Dilecta mea, columba mea, ſponſa mea, quid feci tibi? nec dum expleta lacrymis, ſudoribus, ſanguine meo es? quid immanium belluarum more nullis moueris vulneribus? vis iterari columnam iteratis ſceleribus? an ſatiari non potes vna? quid ſi inceperit commemorare beneficia, vt olim illi populo, *Quia eduxite de terra Aegypti, & de domo ſeruientium liberaui. Populemeus memento quæſo quid agitauerit Balach Rex Moab, & quid reſponderit ei Balaam filius Beor.* Non eduxi te, dilecta mea purgatrice aqua per lauacrum regenerationis de immani ſordium & miſeriarum lacu? quid arida & inaquoſa ſectaris, facta tibi ipſi vipera, aſpis, regulus? non tot millibus in perfidia ſua deſtitutis, ignibusque æternùm addictis, ac minoribus etiam ſceleribus onuſtis; peperci in hunc diem tibi? hęccine reddis mihi, adeone aſper

oleaſter

oleaster ex mitis & opimæ oliuæ nucleo enasceris? deneger amoris grano, concupiscentia siluescens, è sanguine meo hostis exoreris?

Expergiscere anima mea ad has querulas turturis tui voces; ne duræ in te cadant minæ Hierusalem olim intentatæ. *Videns ciuitatem fleuit super illam, dicens, Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo; & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem; eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Ideo tabescit in me anima mea. Verè enim *misericordiæ Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius: sed miserebitur secundùm multitudinem miserationum suarum.* Tantùm *leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. Nos iniquè egimus, & ad*

Luca 19.

Thren. 3.

iracun-

iracundiam prouocauimus. Et tu *oppo-
sisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Ideo
*oculus meus afflictus est nec tacuit; eò quòd
non esset requies; donec respiceret & vide-
ret Dominus de cœlis.* Verè enim *lapsa est
in lacum vita mea. Inundauerunt aquæ
super caput meum. Dixi, Perii. Inuocaui
nomen tuum Domine de lacu nouissimo*
scelerum meorum, & de profundo
delictorum meorum, cùm erubes-
cerem coram te factore meo, factus
in derisum inimicis meis. Sed tu *vo-
cem meam audisti,* carmen & lamenta,
& humilitatem ac contritionem a-
nimæ meæ. Tantùm *ne auertas aurem
tuam à singultu meo, & clamoribus, re-
demptor vitæ meæ.* Vt qui retrò luri-
datus delinquentiæ maculis, nigra-
tus ignorantię tenebris; super niuem
& grandinem potenti dextera tua
exalber. Non suffundor errore quo
caruisse delectat: nemo proficiens e-
rubescit.

Hunc profectũ quem à manu tua

iam

iam cœpi experiri, perficiat tantùm dextera tua; vt exinde ille ego nihil quondam penes te, ne ſt illa quidem ſitulæ, aut areæ puluis, aut inane vaſculum figuli, arbor fiam quæ foliis perennet, gratumque tibi fructum reddat; quę non ignem, non ſecurim metuat, ſed manu tua circumfoſſa rore fœcundata; mortis retro titulis & damnationis eraſis, ſperatum in horrea tua fœnus reponam. Pœnitet terrorum, inuerecundiæ, criminum; pœnitet amaſſe quæ tu non amaſti, quæ odiſti. Porrige dolentem dexteram, & hunc infantiæ adhuc recentis catulum, necdum perfecti luminibus par incerta reptantem, manu ducito; donec in plenum ſolidumque inambulem vis mandatorum tuorum.

Nam quid deſperem ſub hoc capite ſpinis redimito; quid ſub hoc vultu alapis contuſo; quid ſub corpore verberibus flagrisque lacero

non singula verbera, singula fulmina sunt amorem iaculantia? & non, tot amorum fontes quot vulnera? tot flumina, tot maria? Quis mihi concedat hæc flagella sanguine dilecti mei ebria? quis scopas cruorem tamquam nube depluentes? quis vincula cælesti hoc imbre roreque madida, rigidaque? quis dependentem humeris purpuram meliore purpura tinctam? cara mihi flagra, quibus pulsa morte æterna, vita reddita æterna est. Quibus quatriduanus fœtens optatam lucem intueor. Amor vbi es? vbi non es amor? spinis implexum, vibicibus innexum, liuoribus immersum, vulneribus infixum, sanguine permistum video. amo vos meæ spinæ, vibices, liuores, vulnera, sanguis meus. Odi scelera tantorum malorum caussas, amo vulnera quæ licet non fuissent, si non præcessissent crimina, tamquam vulneribus flagra, amo tamen vulnera, odi crimina.

mina. Non quod gaudeam vulneribus; sed quòd singula vulnera singuli ignes mihi sint: singula verbera, singula incentiua: singulæ spinæ singula prouocatoria, & magnorum proritamenta amorum. Nam quid ego iam essem sine illis? non æternorum ignium pabulum, & indefecta flammarũ numquam morituratum materies? non perrenni cęlorum exilio deputatus, Deiąque gloriæque & delitiarum exul? quis ergo miretur amare me vulnera æternorum malorum depulsoria; bonorum æquè æternorum largitoria?

Et tamen inter hæc amoris mei vulnera fluunt lacrymæ. Quid hęc criminibus tamquam aggere circumseptus? disrumpe obstacula, solue vincula; & tandem totis profluis venis sanguis me⁹. Inter amoris vulnera commiserationis & amoris testes, mœroris gaudiiq; indices fluite mea lumina, Ne parcite fœcundis

dolo

dolorum & amorum matrices oculi venæque meæ. Fundite diuite quaqua fluxu quidquid purperei roris locuplete natat reconditorio. Quo plus fuderitis, plus haurietis; fudisse, hausisse est; peperciſſe, perdidisse est. Exurgite oculorum fontes, & vobis ipsis iam ad hæc verbera tamquam tubas & tympana grandiores, mysta doloribus gaudiisque fundite maria; donec colliqueſcat hæc amãs anima iungaturque amori suo, non minoribus votiuis vulneribas laniata, non rarioribus fontibus irrigua, non tenuioribus fluminibus profluua, paribus coronata spinis, conscissa verberibus, liuoribus deturpata, notata vibicibus.

O si non inferioribus amoris ardeam flammis? verùm an in hac arena voluisse amare, amasse est? & paribus voluisse amare, parib. amasse est? an vota hic de penetrali pectoris fusa, adnumerantur rebus? aut su-

spiria confl agoso densata singultu; audi è cordis intimo vota deprompta; intuere tamquam à mediis ignibus calentia, vt nulla Babylonia fornax plus suspirauerit, plus despumauerit ignium, nulli Siculi montes, Vulcania antra plus euomuerint flammarum, nullus ardentiùs bos mugierit, atque auidum hoc lacrymarum, sudoris, vulnerum sanguinisque pectus amori meo.

CAPVT. VI.

Christo sub cruce fatiscenti.

TEne crucis video sub pondere lapsabundum,
Cui quondam cælum sarcina nulla fuit.
Quid vereor pondus, supremaq; summa ligni?
Aut ego quid verear Hercule suppositò?
Non lignum est cuius sub pondere lassabundum,
Non lignum est cuius sub pondere labat:

Crim

Crimina sed nostra sunt cumulata manu.

Hoc pondus, magnus sub quo meus ingemit Atlas.

Sidera notescunt, pressa fatiscit humus.

Verùm quousque sub hoc pondere? hoccine amare est? & amoris hæc symbola æterni? quis ille sub cruce cælumque terramque proscindens gemitus? amantis & dolentis turturis est compare destituti. Quæ sunt hæc sub cruce fatiscentia genua? languentis amoris sunt, & graui vulnere saucii, quo telo olim tacta clamat sponsa in delinquẽtis animæ & iamiam abituræ subsidium, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore lãgueo.* Cant. 2 Optatus animæ languor. Sed durus sub cruce languor. Maximè si immitia accedant vincula, funes, catenę; si sæua insultantium & impellentium rabies, si hostiles calces, si pugni & proculcatio. quis efferas has imanè

fæuientium animorum feritates lubens volensque vltroneus subeat, si non impellat amor? quis inter sanguineos riuos, inter lacrymarum sudorumq; torrentes ingenti oppressus pondere non vltimam reddat animam, nisi amoris manibus stipat, nisi aromatum sponsæ cellis recreat, odoribusq; aspectuq; dilectæ suę roboratus? quid non potes amor? & quò non rapis amantem? Crux, sudor, lacrymæ, sanguis, vincula, catenæ dulces amanti, tantùm potiatur amato. Sed graue quando hæc profluunt ab amato. Nam quid minùs possumus amanti quàm reddere vices amori, & pro amore amorem reponere? verùm quæ hæc barbaries pro amore crucem sudore sanguineque dilutam porrigere? durum crus non redamare amantem, opprimere etiam ligno, humo, calcibus, quae mens humana capiat? multoq; minùs cùm viderit se inter hæc amari

cælum

cælum & terra vbi eſtis? vbi benignitatis & commiſerationis ſinus? vbi pietatis & condolentiæ pectus? hoccine amare & amari eſt? durus amor! fluxerant horti inter ſanguinum flumina; natauerat prætorium purpureo amoris torrẽte; quot flagra, quot ſpinæ, tot fontium ſcaturigines. Verùm non ſatis fuit amori. ſpirabat ad victimæ locum meus Iſaac, in quo æternùm firmaret amoris monumentum, cælo terriſq; in omnem æternitatem nobile.

Verùm ne ignoraret amatus amoris ſui triumphalem campum, aut aberraret à via, ſignare illam voluit purpureo amoris ſui rore, vt curreret in odorem vnguentorum illius, nec abduci iam poſſet, cùm vniuerſam viam dilecti ſui amico imbre ſignatã cerneret. ô vis amoris! ad quæ non rapis amantem amor? torcular nobile muſteo autumno meo grauidum, nulliq́ue magis quàm pre-

menti quàm calcanti notum. Ego ille calcans criminum meorum pondere, amoris succo inebriandus, rore fœcundandus, odore complendus. Amica vinea, dulces vuę, vinum suaue. Amo te mea vinea, vitis mea, botrus meus, vinũ meum virgines generans; sponsas dilecto meo apparãs. Quis mihi dabit vt sternar puluillus dilecto meo? vt inuoluar spongia amori meo? vt innectar fronti fascia, capiti velum? felicem me si in hoc torculari adnectar amori meo: si purpurei misceantur vtriusque fontes; si lacrymæ lacrymis, sudoribus sudores, sanguine misceatur sanguis; peccatricis animæ huius, & amoris mei magni: si misceãtur criminum meorum fella, odorato amoris melle; si perpluãtur amaritudines animæ huius dulci amoris mei imbre, vt fiat vinum vnum, enascatur liquor vnus, flumen vnum, torrens vnus, fons vnus, & amoris fons vnus.

Conce-

Concede hoc, qui solus potes amor, & bea hoc munere amantem, vt vno permistus torculari, vnus sim tecum; nec iam terrear, aut fugiam conculcantium pedes, magis etiam amem. Quàm plenè satiabimur tu & ego amor meus? quàm feliciter inebriabimur tu & ego dilecte votorum meorum, eueniant tantùm hæc vota mihi, vt amoris mei musto plenus nihil eructem aliud præter amoris mei vinum, duris licet torcularibus expressum. Beata vinea dilecti mei, quæ non labruscas, sed purpureos mihi protulit botros in purpureos fontes soluendos; in fontes non aquarum, sed vinorum viuentium, quorum odorato imbre cælum terraque perflatur. Et potuit gratior è terris cælos petere, amoris mei torcularibus expresso? & tamen quis credat tãtum potuisse amorem mei, vt magnum illud cæli numen, æquæua progenies Patris, amati car-

ne induta, spinea corona cincta, ver-
beribus cæsa, cruce onusta, terram
sanguine rigaret; & hanc siccam, a-
rentem, adeoque exsuccidam &c.
medullatam vniuersi corporis mi
terram??

Quis credat sub hoc pondere ia-
cere æterni Patris sobolem æternam
Deum de Deo, cuius nutu pendul
hæc stat terra: imò quis non arbitre-
tur fabulam de fabula sumptam, au
comœdiæ aut tragœdiæ scenam, ni
fides testatissima protulisset? ingen
amoris vis nullo calamo aut ment
exprimenda! Quid præstiterat ho
mo, vt mereretur hunc amorem?
euulsum è sinu Patris amorem p
dibus obiiceret cõculcandum, cru
ce premendum? melius hæc silenti
transiguntur, dum mens admir
bunda magnitudinem silentio te
statur, plusque loquitur sine lingu
stupor, quàm omnium oratorum
doctæ proloquantur voces. Nos

cadun

cadunt hæc in humanum pectus: ac nec tota Angelorum series pro meritis magnitudinẽ explicet. nam meriti causam nullam reperio, quo maioramoris mei amor puriorque est; plusque illi debeo, qui nuda voluntate sua dilectioneque mea impulsus, tam valida amoris mei signa in medium sparsit, quibus me in dilectionis campum prouocaret. Pareo. Neque aliud habeo quod rependam, quàm vt amorem amore compensem, amemque amorem meum: cui cùm tot nominibus omnia debeam, tum immiti hac sæuaque crucis gestatione, omnia etiam debeo. ô si quod debeo erogem! scio non posse. Hoc tamen possum, sed Amoris mei priùs succensus flamma, vt amem; & pro Amore meo vitamque animamque profundam, siue siue in cruce generosam, siue sub illa depressam, siue flagris excussam, siue spinis extortam, siue clauis

exterebratam, siue lancea exspiculatam, siue labore exsudatam, siue mœroribus elacrymatam, siue sanguine profusam. Omnia tamen mori meo, vt ipso illius pondere oppressus cadam, immergarque purpureo rori illius, musto illius, vino illius, vnus iam cum illo, ros, mustum, vinum, vno torculari expressum.

CAPVT VII.

Vestium in Christo spoliatio.

LACRYMÆ vbi estis? videtis hæc oculi, & statis? non quidquid hic fontium est, salit? non quidquid fluminum, proruit? cui seruatis venæ meæ sanguinem, cui sudorem corpus? quò tam cæco impulsu ruisa mor, immemor verecundię, viginei que prodigus ruboris? stupescite cælum & terra super hac verecunda vestium spoliatione, super hac immani casti corporis retectione. Pudor vbi

eras?

eras? in omnium oculis effunderis? hæccine casti amoris symbola, tam prodigè ruborem diffundere? scelera quò luxistis amorem meum? quò inuerecundâ criminum licentia? quò libidinum pœnitenda sequela? hoccine est amare. Hic ille librator Spiritus, qui super aquas ferebatur, adiutor & animator vniuersitatis, qui cælum sideribus, maria belluis, terram varia fœcunditate dotauit; cuius nutu frutices inoculantur, folia formantur, germina inflantur, flores inornantur, & à quo omnis generis paratura, partibus promota grandescit; qui vites, qui hederas textili silua, fruticesque arboresque post spolia vestit, ne diutiùs nuditatem suam erubescant; ille in virgine carne sua omnium exponitur oculis, omnium luditur, omnium percutitur. Pudor & rubor vbi estis?

Olim in theatris, in scelerum ac libi-

libidinum tragœdiis, lasciuisque comœdiis, pudoris sui interemptores de nuditate sua deque propudiis occisæ in publico castitatis, ad lucem & populum expauescunt: quid arbitraris euenisse conditori tuo? stetisse credes vultum, & non suffusum rubore verecundis maduisse lachrymis? ille casti amator decoris, non erubuit ad alienos oculos, qui erubescceret ad suos? ac licet de libidine erubescenda sit nuditas, de innocentia tamen etiam in hac mortali vita sine rubore non est. Aut quis credat non erubuisse Agnetem, Agatham, tot lasciuientibus iudicum, carnificum, spectatorum oculis delusam? etiam de confessione & martyrio erubescenda nuditas est. Hoc tamen hic solatii, quòd tam densa stola sponsas suas vestiuerit amor, vt credas amorem ruborem detersisse. Tantum pro illo patiendi desiderium est, Quid si non absimile reperias in

amore

amore meo. Vetus dictum. In media procella, confusis nõnumquam vestigiis cæli & freti, portum ostendi prospero errore; & in tenebris aditus exitusque non rarò deprehendi cæca felicitate. Quid si eadem reperiam in spoliatione amoris mei? in qua tamen non littus aut portum fortuita felicitate, sed spontanea & prudenti reperias? cui enim non crescat amor, qui videat illum qui orbem comprehendit manu, cui cælum thronus, terra scabellum est, cui omnis omnino gloria famulabũda, & potestas in omnem æternitatem est; eò amoris impotentia abreptum vt propè se exueret pudore, quò meã inuerecundiam rubore suo tegeret, vestiretque me sceleribus & voluptatibus nudatum, pudore suo. Vt erubescere discerem, qui erubescere desieram. Et porrò in inuerecundia mansissem, nisi vidissem ob illam erubuisse Amorem meum. Sed

neque

neque nuditatem meam agnouis-
sem, nisi illam mihi in sua ostendis-
set amor meus, immanitatemque
nuditatis meæ rubore me suo do-
cuisset.

Fuit hæc via mihi ad meliora, vt
causas erubescendę spoliationis męę
execrarer, fugerem. Vt quidquid aut
vetus error inquinauerat, aut igno-
rantia contaminauerat, aut impro-
bitas nudauerat, ad omne pœniten-
tia verrens atque radens, & foras ab
iiciens, mundam pectoris domum
amori meo pararet, quò se ille cum
cælestibus donis, diuinoque ornatu
suo lubens insereret. Neq; enim sta-
tim succidendus est desperationi a-
mus, si secundæ tertiæq; quis pœni-
tentiæ spoliationisque Amoris sui
debitor fuerit. Pigeat sanè peccare
sæpiùs, sed sæpiùs pœnitere non pi-
geat. Pigeat sæpiùs periclitari, sed
non sæpiùs liberari. Pudeat sæpiùs
donis cælestibus spoliari nudariq;

in opprobrium, in Adæ & Euæ ſimilitudinem; ſed non pudeat reueſtiri. Iteratur inualetudo? iteranda medicina eſt. Hinc cùm proſpexiſſet Deus periclitaturos plurimos poſt non ſemel conceſſam ſalutem, qui per montes & ſaltus humeris eſſent reportandi, ſecunda poſuit ſolatia, pœnitentiæ lauacrum, lacrymarum & ſanguinum balnea; in ſacco, cinere, mœroribus numquam deſperandum. Dauid dum potum fletu, panem cinere miſcet, adulterium & cædem confeſſione purgauit. Nabuthæ hæreditatem & ſanguinẽ, Achab deprecatione deleuit, læſuramq; abduxit à diebus ſuis. Peccatrix Niniue inedia ab exitio liberatur, etiam pecudibus enectis; cùm malit pœnitentiam Dominus peccatoris, quàm mortem. Hinc illa diues ſponſio, *Ponam deſertum in ſtagno aquarum, & dabo in ſolitudinem cedrum.* Ita tamen ſi, quod plerique non dubitant, propter

Eſa. 41

pter exigui temporis volaticũ gaudium; id nos in æternitatis periculo tolerare non dubitauerimus; necasperitudinem lacci, nec horrorem cineris auersati. Quis enim in coccino & Tyrio, in epulis lautioribus prodelictis supplicet? sequamur Apostolum vt sanctitatis omnis & puritatis ex semetipso magistrum, ita impuritatis omnis execratorem & expiatorem; vt quæ exhibuimus membra famula immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; exhibeamus famula iustitiæ in sanctimoniam, exhibeamus & pudicitiæ in ruborem. Ne vltrà immunditiarum gurgiti non dicam corpus, sed nec manum tradamus, circumsonent preces, circumstagnent lachrymæ, omnisque iam immunditia non modò exulet, sed nec nominetur quidem inter nos, sicut decet sanctos. Quòd si non puduit discingi, non pudeat vestiri, ne cum erubescentia nostra pereamus.

mus. Quasi non tolerandum sit pudori, offenso Domino satisfacere, quem non erubuerit offendere. Nimirum ad delinquendum expandimus frontem, subducimus ad deprecandum. Aliud nos docet exemplo suo Christus, cuius omnis actio, institutio nostra est. Exueram ego ruborem peccando, ingentemque peccatorum funem trahebam, ignarus erubescere, pudoreque omni criminum frequentatione, tamquam potenti spongia deleto. Inerubescentiam hanc inaudito pudore castigare voluit Dominus, vt pudore illius erubescere discerem, qui pudere dissueueram. Ornauerat me sponsam suam, hac enim per lauacrum prærogatiua me donauerat. Nec multo, obsoletaueram nuptialem vestem, exinde etiam exueram meilla. Vt non iam ob vnius arbusculæ delibationem, sed ob propria delicta destinarer ignibus, subsidio

omni

omni destitutus, veste spoliatus, operumque bonorum nudus. Quid faceret amor meus? pateretur in hac nuditate cælorum gaudiis excludi, inferorum pœnis addici? merebar. Verùm tactus miseratione intrinsecus amor meus, erubescendam spoliationem delegit, vt melioribus vestirer. Merebar in æterna infelici nuditate æternùm ignibus vestiri & conuolui æternis. Spoliari maluit amor meus, ne æternùm spoliarer ornamentis cælestibus, ne æternùm vererer flammis ardentibus. Quid non debeo amori.

Nam quid tam contrarium puritati, quàm nudum obiici oculis non puris, conflabellari non castis? pudicitiam cogita. Flos illa morum est, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, siue spontanea illa, & amore solo delecta, siue ex voto æterni ignis & regni. Cogita deinde

deinde quàm grauc fuerit pudicitiæ illi, vt ita dicam, exuerecundari, cùm castimoniæ omnis indiuiduus comes verecundia sit, nec quidquam illi verecundiæ aut pudoris prostitutione magis inimicum sit. Etiam pedem aut brachium nudare, morte multis acerbius fuit: vt non vltimis, flammæ & cadentes laminæ, prunæ ardentes, & viuicomburia pro lusu fuerint; pectore nudari omni mórte grauius. Hinc quo castior quæque, hoc densiori pudoris armatura tegitur. Circumdat verecundiæ vallum, murum sexui suo struit, vt nec suos emittat oculos, nec admittat alienos, cùm sciat se publicatione periclitari, dum percutitur oculis non castis, & multis. Hinc non tantum pudicæ virginis est suffundi si à viro visa fuerit, sed & casti viri si virginem viderit. Mirum hoc è Gentilitate exemplum, cum Arabiæ fœminæ ita faciem totam tegant, vt vno oculo librato

librato contentæ sint dimidia frui luce, ne totam faciem prostituant. Quo ergo rubore credam amorem meum, à quo omnis castitas & pudicitia fluit, & oppressum ac circumfusum fuisse, cùm totum pudorem omnium oculis vidit obiectum? non arbitreris mille tormenta, mortes mille antè subiturum, quàm prostitutionem hanc pudoris? quo magis arctioribus illi nominibus obstringor, qui Amore mei quod sæuissimum fuit delegit: cùm ruboris ex se causam nullam haberet, qui nulli culpæ obnoxius esset.

Et verò occisæ innocentiæ, & primordialis peccati pœnam, vestem fuisse, nemo ignorare potest, qui audit, *Et aperti sunt oculi amborum: cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Et illud, *Timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* & istud Domini, *Quis n.iu-*

Gen. 3.

dicauit

dicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? è delinquentia ergo vestis. quã cùm ignorasset innocentia, pręuaricatio inuenit. Prodito proinde pudori vestis reperta. Nihil horũ in Christo meo inuenies. Nec veste, in ipso, innocentia egebat, quę delicto in pœnam irrogata erat. Quare nihil habebat, ꝙ erubesceret Christus meus; non suum, quo carebat; non primorum parẽtum, è quorum vetitæ arboris delibatione nihil ipse virgine natus, Spir. sancto figulatus suxit. Nulla ergo ruboris causa, nisi quòd nostris delictis erubesceret, ad nostram in sua nuditatem rubore ꝓfunderetur. Nescit erubescere nuditas ignorata; cognita tamen (docemur hoc exemplo primorum parẽtum) etiam oculis suis ruborem adfert, quo magis alienis. Iã cum ꝑuaricatricẽ nuditatem meam in se sumpsisset amor meus, tanto erubescere debuit

debuit magis, quanto eum maior nuditas mea tenebat. Cumq; omniū in se prævaricationes sumpsisset, omnium etiam nuditatem amplexus est, omnium proinde etiam ruborem: quò magis erubuit, qui tot causas ruborum habuit. Quot enim delicta, tot nuditates, & erubescentiæ causæ; quæ cum innumeræ forent, ruboris etiam innumeras causas habuit, tanto illi graviores, quanto ipse ab omni delicto, erubescentiæ causa remotior: vt nesciam an nō hæc pœnarum omniū quas sustinuit aut maxima, aut tantum non maxima, primaq; ab illa, sævissimaque & acerbissima fuerit. Vt hoc nomine plus debeam amori meo.

Pudor & verecundia vbi estis? vbi tu rubor pudicitiæ famulans? quid cessas anime? quin inuolas in dilectum, & oppositā corporis tui nuditatem tegis? quid hæres dubius? quis eripiet ex pudico amplexu tuo cu-

stum

ſtum Amorem? quis reteget quem toto contexeris corpore? ferrum? ignes? carnificis manus? nemo me ſeparabit à te Amor meus. Minari poſſunt, ſecare, vrere; ſeparare non poſſunt illum quem tu ſemel implagatum tenes amoris tui nexibus: & nõ luſus ſubiicere ſecutibus ceruices, dare vſtulandum corpus, dextreram inuicere foculo, prunas calcare ardentes, Babylonia fornace, aut lento igne torreri, ſi iungar Amori meo? etiam apud ſęculum pugni quaſſant, calces arietant, cæſtus dilaniant, flagella dilacerant, & grata memoria legũt vulnera aut cicatrices qui paſſi ſunt, nec quiſquam agonis ſui præſidem ſugillat. Corona nimirum premit vulnera, palma ſanguinem obſcurat, & plus longè victoriatum quàm iniuriatum eſt. Quis ergo hũc læſum arbitrabitur, quem lætum & exultantem videt? quem non metientem vibices, liuores, vulnera; ſed

cogitantem vides quantam posteri-
tatis famam collatura hæc sint? quã-
to potiori iure Christianus videbo
vulnera, gaudens spargam cruorem,
dilaniata siccis oculis intuebor mi-
bra, quæ amori suo implexa, ne mo-
te quidem diuellantur. Quid? quòd
ipsa morte tenaciùs etiam inhæreã?
& quæ in hac vita temporario, in al-
tera æterno iungantur nexu. Beat
mors quæ arctiùs dilectum dilect
vinculat, nectit potentiùs! quis be
bit me hac felicitate, vt sanguin
purpurem dilectum meum; rubea
que iam non pudicitiæ propalatio
ne, sed amati sui cruore prodiga
nu & ferro sparso? gratus rubor a
mæ, fortuna me hac beatitate amo
meus. Tibique æternùm
iunge.

CAPVT VIII.

Claui quibus affixus Christus cruci.

CREDERES amorem volucribus similem, & ne periculum à fuga foret, inclauandum. Cauea contineretur, & haberetur blandiùs; parietibus cingeretur tamquam spatioso carcere; siluis concrederetur tamquam assuetus ad amati dexteram recurrere. At clauis configi, ne elabatur, durum; adeoque crudele & barbarum saperet, ni amor ipse vltronea oblatione inclauari voluisset, vt amoris sui magnitudinem ostenderet. Quare ne vereremur fugam, neallicientis ad se fraudem, configi clauis voluit, vt quicumque amat fruiiam liber amore possit; illiusque inhærere & castis satiari amplexibus. Eueniat hoc mihi. Sed neque satior amplexibus, ita auarus

omnis amor est, nisi me totum sen
sero iisdem amoris clauis amori me
confixum. ô dies! xorere meus Sol
tantùm te fruar amor meus, sed no
nisi iisdem clauis confixus tibi,
nulla nos vis, tempestas nullâ, qu
cumq; maligno affla u nata separa
possit.

At durum est configi clauis; etia
molle est si configar amori. Crude
ferreis terebrari clauis; etiam mite,
conterebrer amori. Barbarum est
gno configi clauis; etiam humanu
si configar amori. Nam quid vere
clauos? amabo etiam, si illis affigu
mori: amabo & flammas, si illis co
iungar amori: amabo & inferor
ignes, si illis adnectar amori. Nam
maior me intus alit flamma, si v
amore, quàm omnis alius mi
possit ignis; ita validior me tenet
xus, si adnectar intus amori, q
claui omnes, ferrum omne adne
re ligno valeat. Ignorat flammas,
m

maiore ardet flamma; nescit clauos, qui validiore configitur nexu. Quid? quòd non sentiat flammas, non sentiat clauos, quisquis amoris ardet ignibus, aut trabali amoris clauo innexus amori est. Et tamen fatenda veritas est. Durum fuit ferrum quo affixus fuit amor meus. Duriora tamen fuerũt scelera mea, quibus suffixus fuit amor meus. Audeo, & suaues clauos dicere, si illos cum criminibus meis conferam, ita hæc supra omne ferrum durescunt; vt plumas clauos omnes malleosque dixeris, quibuscumque incudibus sudatos, si cum sceleribus meis composueris. Nihil Ætna simile, nihil Vulcania protrusit fornax. Vincunt omnem duritiem, immanitatem omnem crimina mea, quæ amorem meum barbaro planè more confixerunt cruci. Quo magis miror amorem, amo amorem, qui vltrò se obtulit cruci, malleo & clauis; crederes reum

ingentium ab orbe scelerum mere-
bar, fateor, & maiora merebar. sed
quid peccauerat amor meus? dimit-
titur nocens reus, punitur innocens
amor. Quæ hæc iustitia est, absolui
nocentem, damnari innocentem?
iustitia hic exulat. Amoris hæc im-
peria sunt; nisi & iustitiæ velis; cùm
delicta mea, quæ cruces, quæ clauos
merebantur, in se susceperit amor
meus, ære suo, corpore suo luenda.
Nam ego licet affixus cruci, quid po-
teram iustitiæ leges explere, quas
nulla in me tormenta explere pote-
rant? quare ne careret diuina iustitia
fructu suo, maior me, nec inferior
debitis satisfare debebat. nullus hoc
poterat, nisi amor meus.

Verùm indignum vnigenito Pa-
tris pro nocentibus pati. Vicit indi-
gnitatem amor, & pro nocente reo
innocẽtem obtulit carnem, sangui-
nem, animam: vt indignantem pro-
pè iustitiam, quæ reum sibi clamabat
tradi

tradi, vinceret misericordia & amor, qui innocentem tradidit rei vestibus indutũ, vt reus iam videretur qui innocens erat. Pro mancipio ergo, seruo, reo, sceleribus farto; dominum, regiam sobolem, regni hæredem, in quo non dolus non macula, clauis cruci suffigendum, in delictorum meorum expiationem, in debiti erogationem, tradidit amor.

Non amem vos mei claui! perieram sine vobis, & perieram æternùm nulla spe veniæ, mitigationis pœnarum nulla. Et tamen quis non oderit clauos? imò, quis oderit clauos sine quib. salus iam nulla? & inhumanum interim amare clauos, quibus tam barbara suffixione inclauatur dilectus meus. Et amare tamen cogor hos clauos. Non quòd amem vulnera amoris mei, sed q̃ clauos & vulnera amauerit dilectus meus. Nam cùm indignum me amore, deperiret amor, & via sceleribus meis

intercluſa potiendi amato? delegit & adamauit clauos amor meus, vulneraque, quibus potiretur amato; vt, ſi amem quod amauit amor meus, non videar aberraſſe ab amore meo, ab affectu illius. Sanè ſi non amaſſet hos clauos, non ſeruaſſet vulnera in ornatum, in teſtationem & incentiuum amoris. Vltrò delegiſſe, tuliſſe, & ſeruaſſe, amaſſe fuit. Vt & ego nũc amem vulnera, amem clauos, per quos mihi aditus ad vulnera, ad intima dilecti mei, à quibus ſine vulneribus exulabam. Acceſſerunt vulnera, & patefacta mihi regia antè clauſa, reſerati cæli. Vt clauos hos colam tamquam cæli claues, tamquam regiæ dilecti mei reſerantia clauſtra.

Beati planè claui. Magis ſi me configatis amori meo, & æterno configatis nexu, vt æternùm vos amem, venerer æternùm tam ſancti nexus felicia internodia, & tamquam fortunatum gluten amoris, & mei. Æternùm

ternùm tamùm nectar, æternùm amem. Nec finis huius nexus, nec finis in omne æuum votiuo sit amori. Hic si configendus clauis, beatus, dum potiar amore. Hic, si crux & lancea, spinæq; adnectantur & verbera, felix, dum per hęc iungar amori. Et quem terreant tormenta & claui, qui amorem & coronas, præmia & triumphos cogitet? nam si in mollibus amorem quæras, erras. Nullis rosis aut violis cinctus decumbit amor. Lacrymis, sudoribus, sanguine vbique natat. Intuere hortum, prætorium, Caluariæ locum. non omnis hic duritia, inbonitas, insuauitas, acerbitasq; gradum fixit? ita quisquis aliquando in plenum amorem cogitat, segregetur ad strictiorem disciplinam, robori per ardua ædificando vacet, pręludat durioribus. Quid expauescis ad sudorem, horres ad vulnera, accusas sanguinem? etiam in humanis sub præmio perituræ laudis,

dis, nihil homini tam prosperè concessum, quin ei admistum sit aliquid molestiarum, vt etiam in amplissima quaque lætitia subsit semper aliqua non leuis querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis. vt dictum bene, *Vbi vber ibi tuber*; ita & in diuinis, miscetur dulcibus acerba, quamdiu hic animam trahimus. At vbi emissi in magnum illum diem purāq; lucem, reddemur nobis decussis durioribus; æternoq; suaui nexu, omni lachryma siccata, omni suspirio demesso, omni mœrore detersо iungemur amori. Ita eueniat mihi, vt hic clauis, ibi in omnem æternitatem beata associatione configar amoremeo.

CAPVT. IX.

Votum cruci Saluatoris nostri.

QVam mereor pœnam, cùm tu mihi caussa salutis,

Impia

Impius immerita sim tibi causa necis?
Tu pretium culpæ, sceleriscq; & criminis insons:
Nam scelus omne meum est, pœnaq; sola tua est.
Hei mihi quid feci? quò me furor improbus egit?
O dolor! & crux stat crimine fixa meo.
Et meus in media Christo lacerabitur ara,
Et sceleris tanti caussa superstes ero?
Aut si fortè mori tibi stat sententia Christe,
Crux ferat vna duos: mors ferat vna duos.

Ita fiat dilecte mi. Crux vna duos, imò non iam duos; sed amplectatur, cingat, extendatque vnum, amoris nexu vnum, vinculis clauisque amoris vnum. Felix vnitas, quam intercurrens amor indissociando nectit vinculo. Quis me innectat hoc, clauisq; è tam pugnantibus vnum statuentibus, vt coadunescant duo hæc, ac concorporentur in corpus

vnum, coalescant in animam vnam!
Felix crux, cui nobili hoc vinculo, &
tot per secula votis optato innexi
duo, vnum iam sunt, non duo, nulli
æternitate soluendi, nulla ponendi.
Iungere anima mea dilecto tuo, nec
extra hunc amorem cruci suffixum
sponsum maritumvé agnosce. Huic
iungere nexu æterno, & iungere soli.

Salue ó mea crux tanti connubii
paranymphus. Felix, beata. Quis mi-
hi concedat fortunata metamor-
phosi verte in te? vt æterna consocia-
tione iungar dilecto Amori meo?
quod vbi consecutus fuero, an di-
mittam quem amat anima mea? non
si mille castra circumstent minita-
bunda, non si inferorum exsurgant
portæ, aut quæcumque vsquam ro-
bora; non adeò si cælum ipsum in-
tentet arma. Nulla me vis à dilecto
separabit. Transfigant manus, for-
tiùs etiam adnectar. Conterebrent
pedes, potentiùs inhærebo. Trans-

uer-

uerberent latus, validiùs infigar. Et non iam duo, vnũ ero cum tot modis transfixo dilecto meo. Nam quo plura vulnera, quo vis externa maior, eò certiùs innectar dilecto meo. Secent, diuidant, vnumq́ue exsurgat vulnus corpus totum. Quò plura infixerint, plures validioresq́ue nexus admouerint. Non separor. Ac ne æternitate quidem. Exerat fortuna quodcumque telum habet, depromat infernus quidquid vbiq; armorum, deferat & cælum quidquid minarum habet; nemo me dimouebit à dilecto tot nexibus firmato. Spolientur exarmenturq́ue quotquot orbe toto armamentaria, & in urrant in vnum corpus. Omni maior ferro sum dilecto innexus. Quòd si negata mihi, felix optataq́; in crucem commigratio: affigar saltem, & cum dilecto configar illi.

Asperior crux est? omni mihi purpura & pluma mollior est. Abite lecti, &

cti, & quidquid in mollitiem luxus reperit. Nullus mihi lectus cruce hac suauior est. ô configar! non minutis tantùm ferreis, sed trabalibus, è chalybe, aut adamante Vulcania incude conflatis clauis, quos nulla in æuum ætas aut potentia denectat. Optata dies! qua confixus amori meo, mutuo lauabimur, natabimus lachrymis, sudore, sanguine! cùm vno vinculo duo nectentur, non iam duo, sed vnus, indissociabili nexu vnus, mutuaque sanguinum permistione vnus.

Beata crux tot votis optata, quæ me coniungat amori meo! felices claui tot lachrymis suspiriisq; exspectati, qui me innectant dilecto meo! quid cessatis mallei, & vos Prætoriani milites? ô nimis iam benigni, & in pœnam lenti! etiam crudelitas mansuescit, & leones feritatem ponunt? quid amorem meum suffigitis solitarium? date hoc saltem amori nostro,

stro, ne disiungar ab amato. Crudeles si negatis. Effera benignitas quæ clauos & crucem negat, ne adnectar amori.

Si delitiarum, opum, gloriæque societatem deposcerem, aliquid dãdum amori esset. Nunc cùm clauos & crucem poscam, quæ hæc barbaries est, tormenta negare? nimirum nimis molles claui sunt. Admouete quidquid in sæuitiam ingeniosa reperit crudelitas. Tantùm adnectar amato. Pietas negat? crudele pietatis genus disiungi amato. Pietas est iungi, pietas sociari. Clauis, lancea, trabibus hoc fiat, nihil admodum interest: tantùm iungar, fruarque tot votis, lacrymisque, non dissociando nexu, cruce clauisque firmato. ô me felicem ter & amplius, quando adnectar tibi amor meus? quando infigam purpurata oscula sudoribus, lacrymis, sanguine mysta? abi terror. nullus in amore dolor est, si illi iũgar.

disiungi

disiungi dolor est ; adnexo gaudia manent. Quibuscumque adnectar, nil moror. Etiam ignibus. audeo. Et inferorum flammis. Nam quid mihi tormenta ? nil sentit quicumque dilecto adhæret, licet ignibus ardeat, æstuet fornacibus, & per omnia membra currant tormenta. Amor occupauit artus, & totum possedit hominem. Sæuiant licet in corpus omnia pœnarum genera, si nõ corpori suo, sed amato inhęreat anima, quid sentiat corpus, non tam corpus quàm cadauer ? ferocite carnifices. Anima si amato inhæret, nihil sentit. Crus in compede, manus in ignibus, corpus in craticula aut inter ardentes prunas, quid sentit cùm mens dilecto adhæret ? vngulæ & candentes laminæ, forcipes & ardentes tedæ, lateraque lambens flamma quid possunt cùm animus in cælo est ? & non in cælo est, cùm inhæret amato ? inambulate per corpus pœnæ, prospectã-

da

da præbete viscera, sæuite in abdita naturæ, quid sentit corpus anima destitutum? & non destituitur, cùm dilecto suo nectitur non soluendo nexu? perge crudelitas. Tantùm iunge amato, & sæui. Æternumque sæui, modò æternùm iungar illi. Etiam in flammis & inferorum ignibus cælum mihi est, si amato in illis iungar. Qui si negatur, etiam inter cælorum suprema infernus erit; si concedatur, inter inferorum infima cælum erit. Nolo gaudia sine dilecto: nolo cælum. Solus enim ille mihi cælum est. Abite Sancti; non amo vos sine illo. Procul gaudia; nulla mihi sine illo. Fruantur illis alii, addе honores, opes, delitias, & quidquid hic magnum. Ego dilecto, & ille mihi, & æternùm illi, & mihi æternùm.

CAP.

CAPVT X.

Christo in cruce morienti.

QVid moreris si culpa mea est? quid vulnera perfers?
Ecce ego sum tanti criminis ipse reus.
Scilicet innocuo pensatur sanguine crimen;
Quodque nocens meruit, expiat innocuus.
Quid faciam, quo me morienti tester adesse?
Cætera si desint, mors mihi testis erit.
Dic quicumq; vides me morte mea immorientem
Et super impositio corpore morte mori:
Hic quicumq; mori potuit sine vulnere, amauit.
Omnibus æternum hoc pignus amoris erit.

O moriar! nam quis prudens sine animo vitam opter. Mortua hic vita mea est, erepta anima. Violentæ manus

nus quæ vitam rapierunt languido; quæ corpus spoliarunt anima; viduarunt vita sua, nulla commiserationis spe reliqua. Quò raperis mea vita? quid amantem deseris, aut destituis tot modis vinculatum tibi? vis me viuere sine vita? morior. Vis lassam trahere animam sine anima? tu mea vita, anima tu mea es. Aliam nec volo, nec noui. Quare si tu mea vita moreris, morior; viuo, si viuis. Et tamen tu moreris vt ego viuam: tollitur nimirum vita mea, anima mea, vt ego viuam. Viue tu vita mea, moriar ego, vt potissima pars mei viuat. nam si tu moreris, duo moriuntur, tu & ego. Vnus moriar. Verùm qua mortis meæ causa? go ille. ego non semel mortis reus, & tu moreris. Perpetrator scelerum ego, & tu luis. Et tamen nisi tu moreris, morior ego; viuo, si moreris nobilissime phœnix, è cuius cinere vita nascitur mihi; qui teipsum funerans, renouas, natali fine dece-

decedens, atque succedens iterum phœnix. Orientis ales clarissime, de singularitate famose, de posteritate portentose. Nam quis alius è sanguine & morte nouas protrudat vitas? quis animet morte sua mortuos?

Sed quò mihi hæc singularitas, si tu viuas vnus? viuamus omnes vt tu moriaris vnus. Ita tamen, vt & tu post mortem vita viuas cæteros. quid miramur post mortem vitam, verùs è morte vitam? non dies moritur in noctem. Et post funestatum mundi honorem, post sepulchrales tenebras, iterum dies mortem suam noctem interimens, rescindens sepulturam suam tenebras? non redornantur specula Lunę quę menstruus numerus attriuerat? sidera sanè defuncta viuescunt, tempora vti finiũtur, incipiunt, fructus consumuntur & redeunt: & semina nonnisi corrupta & dissoluta fœcundiùs surgunt: omnia pereundo seruantur, omnia de

de interitu reformantur. Et non arbores vestiuntur post spolia? & quis miretur mortem tuam vitam meã? vitias, vt integres; intercipis, vt custodias; decoquis, vt vberiora & cultiora restituas; exterminas, vt erigas; extinguis, vt redaccendas, de fraudatore seruator fœnore interitu; cũ tua morte viuimus omnes. Quid faceret amor? viueret? moreremur omnes. Ergo vt viuamus omnes, moritur amor. Imò viuit amor. Nam ni mortuus fuisset amor, non viueret amor; adeoque iam mortuus fuisset amor, ni mortuus esset amor. Nam quis fuisset hic amor qui vitæ suæ omnium postpoluisset vitam, vt soli sibi viueret? amor erat, & via alia deerat amatos vitæ reddendi; mori debuit amor, vt viuerent qui sine amotis morte viuere non poterant.

Immensus amor, nullisq; circumcinctus terminis, à fine ad finẽ protensus, qui animæ suæ vmbram, spiritus

ritus sui auram, oris sui operam noluit æterna sepeliri morte. Noluit manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui animam, molitionis suæ sponsam, liberalitatis sua heredem in æternum destituere interitū. Voluit proinde mori vt morte sua superinduueremur immortalitate qua carebamus. Iacebamus in inerti somno, donec amoris morte indueremur domicilio de cælo, quo gementes indui desiderabamus labefactata morte, adeoque & mortua morte; vt immortalitate vestiti nobili vicaria de vestitione, amoris & nostri, qua mortali tegeretur indumēto immortalis antè amor noster, nosque mortales immortali illius tegeremur operimento, ne inferos experiremur vsque nouissimum quadrantem exacturos. Futurum hoc, nisi amor meus animam pro amato poneret, mortemque suam arrhabonem vitæ nostræ relinqueret, ita tamen

men ne in interitũ relinqueret. nam quò mihi amor si non resurgeret amor? qui è carne mortali cùm exisset, morte vitam induit immortalem. Ita & apud mortales nudum seritur granum sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi; exurgit verò copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaq; vestitum. Nullum signatius amoris mei documentum: discingitur spoliatur que veste; nudus & inuestis totus animam ponit, ornamenta nulla, sudor & lachrymæ & sanguinei torrentes, vulnera & flagra tritico nostro excutiendo, crux & claui tamquam mola frumento nostro conterendo. Sequitur extensio & laceratio, ne quid remaneret penetralibus abditum, ne quid seruasse sibi auarior manus, ne non profudisse liberalior dextera videretur: surgit que post

hæc

hæc vita cultior, de splendore, de ornatu, de agilitate, impassibilitate, immortalitate, de cæstibus donis omnibus, in testationem resurrectionis nostræ, vitæque secundæ, deuicta semel & conculcata morte.

O amor! & ô cara iam mihi mors, vitaque omni carior mea, qua sola viuit amor meus mihi, viuo ego illi. Non viuerem nisi ille antè gustasset mortem, imò nisi morte sua mortem calcasset, peremisset. Nec poterat aliis armis mors vinci quã suis. Morte ergo mors vincẽda erat, & in triumphum, sola morte mors ducenda fuerat. Felix mors! qua vna, deuicta morte, & sub æternum iugum missa viuo iam nõ mihi, viuo amori meo. Viuam æternùm! Sed antè moriar illi, seculo mortuus, carni, delitiis, honoribus, opibus, purpuræ, voluptatibus, totiq; mundo mortuus. Vt viuam illi, & illi soli. Sed antè in cruce morte coniunctus ipsi. Nam si vera amo

amo amorem meum, nõ affigar cum illo, qui amore mei affixus est cruci? & vbi melius erit mihi, quã in amoris sinu, inter amoris vbera? quę si nõ reperio nisi in morte, & crucis morte, quid diutiùs ambigo, aut in incertum suspensus hæreo? aut cur non inuolo in amantem cruci suffixum, vt confixus illi inter clauos & lanceam amoris mei optatis fruar delitiis: vbi vbera mea, lac meum, voluptas mea, lancea & clauis confixa sunt amori meo. Cum quo si non suauiter, fortiter tamen, & non inglorius occubam in hoc amoris lecto: in quo vltimam illius animam legam, vltimam hauriam, in illiusque viciſſim amati pectus, exspirem amantem hanc animam, vt illud æternùm animem spiritu meo, æternumque ego animer spiritu illius.

Felix hora tam nobili vicaria demutatione vouenda. ô quando! moriar tecum, commoriar tibi, vt con-

uiuam tibi! optanda mors. Nolo vi-
tam. Mortem volo, & amoris me
mortem, qua vna viuam illi, si ante
commoriar illi. Moriamur anima
mea, sed immoriamur vberibus il-
lius, qui solus morte sua vitam largi-
tur amato: & cuius vnius morte viti
viuimus æterna. Sit æternùm hoc a
mor meus. Æternùm commoriar ti
bi, vt æternùm viuam tibi: æternùm
configar tibi, vt æternùm coniung
tibi dulces claui tantæ coniunctio
nis causa mihi non vltima. Dulc
lancea, cuius vnius vulnere amor
ego æternùm configimur in hoc
moris lecto. Semper eueniant mi
hæc vulnera, semper claui & lanc
quibus amori confixus meo, æt
nùm illi socier æternùm commo-
riar, conuiuam æter-
nùm.

CAPVT XI.

Ad vulnus lateris Christi.

ERgo latus Christi clauso cor pandit amori,
Nec poterit ferrum per latus ire meum?
Lancea parce animæ. Quid enim furis? ô caue, totus
Ne meus ex illo vulnere sanguis eat.
Si nescis, mea mens Christi latet abdita corde;
Hic viuo hic animam vulnerat hasta meam.
Hasta ferox, mea sunt, quæ tu fers vulnera Christo.
Desine. mortem vnam vulnus vtrumq; dabit.
Hasta sitis? Christi de vulnere parce cruori.
Pectus habes nostrum, sanguinis hic satis est.

Sin tibi non satis est pectus, totum hoc pete corpus.

More niuis sanguis sole fluentis eat.

Si nec hoc satis improbæ fiti est, vna seca nouacula quicquid in corpore venarum est; vt quaqua parte purpurei saliant fontes, purpurea fluant flumina, è quibus dilecto meo nascatur mare magnum, cui prospero diuini flatus impulsu secundo innauiget cursu, fluctibus ventoq; felix. Quàm bene miscentur humana cælestibus! fortunati dies! felix sociatio! ô quandoa! ut quousque inter spem metumque dubius destituor vento aut fluctibus? imò quamdiu destituor amico ferro?

Verùm quid quereris anime, & pro dilecti vulnere latus opponi tuum? vis illo carere & carere cælo? vis non aperiri hæc ostia, & reserari cælum? vis firmari hos amoris aditus, & ære cælos fusos stare imperuios, nulli penetrandos animæ, qui

non

non lotos agni huius purpura, qua sola, delibuta cedunt metalla, quacumque incude sudata? vis non reuelli hos amoris cardines, vt excludaris ab amoris domo? Quòd si amores amas, & amoris tecta, ama vulnera amorum ostia. Iam quid accusas ferrum? ama quæ reserarunt ostia cælorum claues. Obsequor. Abite odia, indignatio & æmulæ voces. Amo te meum ferrum, amo vos amoris cæliq́ue mei beatæ claues. Felix ô nimiùm ferrum tam nobili prę-rogatiua dilecti mei purpura vestitũ, dilutum purpura! quis me beabit hoc ferro? veriùs è voto meo, quis me mutabit in hoc ferrum, vt sim hasta dilecto meo, fiam lancea lateri illius? semel infigar; numquam euellar. Semel illius vestiar purpura; nũquam exuar. Semel illius poter vino; semper inebrier. Grata ô mihi penuaria purpureo natãtia diuite vindemia vino. Gratæ cellæ promæa-

mōris cibo locuplete repositorio factæ. Satier tantùm æternùm hoc cibo & potu: vt iam non inter vbera pascar, sed corde dilecti mei. Ibi figam tentoria mea, ibi construam torum genitricis meæ. Ibi cubabo in meredie, in die desponsationis meæ. ibi adeò commorabor omnibus diebus vitæ meæ.

Ite Regum opes & surgentia cęlo tecta inuidiam Babylonio verticifactura. Ite laquearia auro grauida, & solido tanrùm non auro perpetuisq; gemmis cælata. Ite sub argento, auro, gemmis gementes papiliones lassum nauseantemque delitiis dominum tegentes. Nulla mihi tecta, laquearia nulla cruce nobiliora. Nullum stratum, mutatoria nulla quacumq; margarita, aut peregrina arte inorata lateri dilecti mei suauiora. Dulciora q́ue illius mihi vulnera, super mel & fauum, superq; saccharū & vina quocumq; torcularī sudata.

vt non immeritò amem te mea lancea, tantorum mihi munerum felix erogatrix. Perge fodere. non queror vltrà. vt & ego pergam amare vulneribus purpureoq; lacte plenus. beata vulnera. & tu etiam magis lateris mei vulnus nobile.

Nam vt reliqua venerer, tu mihi tamen ante alia, princeps amoris mei. Nam vt facilis aliis, quos non tanta delictorum moles premit, aut innocentia etiam decorat, per pedes manusque aditus: mihi tanta criminum rupe prægrauato, nisi maior laxiorque pateat via, excludar amoris domo. Et quò mihi pedes manusque innocentiæ, aut leuioris delicti digitales semitæ? ostia pandenda peccatori huic erant. Donauit hoc me munere lancea; beata dono suo. Beatior ego dono illius, cùm integra nunc pateant atria effractis veriùs quàm reseratis valuis, lato cui-

cumque magnitudini itinere: etiam rupibus hic ſtratum iter, & complanata cuicumque oneri via eſt; eò certior, quò fidentiùs illam calcat, quisquis grauiore ſarcina premitur. Ego ille ſum è gementibus ſub immani pondere primus, ex egentibus maximus, ex ægrientibus ſummus. Et quid ſperem niſi leuari onere, valetudinemque reparari? vt depoſita ſemel in hunc portum ſarcina, lætus hilarisque habitem in atriis tuis, vbi paſcar & explear purpureo lacte tuo, ſuper vbera matris & cælorum delitias expetito. ô paſcar, & æternùm fruar his delitiis! æternùm habitem in domo tua felici lancea recluſa, vt in ſeculum ſeculi laudem te, iungarque tibi non diſſociando æternùm nexu! ô quando! negas? quid niſi vim faciam, lanceaque iam factus, tamquam oppoſitos amori aggeres, perrumpam reluctantia latera? quamquam quid reluctentur amore grauida?

uida? quæ mater non exoptauit natalem diem tot mensibus prælatum? quis amans non coniungi amanti? quid? quòd mater omnis amans est æterno grauidata partu? quem numquam in plenum effundet, nisi amantis, tamquam obstetricantis manibus, educatur in lucem. Ego illa obstetrix sum, quæ ferreis hastæ manibus amorem eduxi. Non manus illæ meæ? nam quod illud fuit ferrum nisi criminibus meis lentatum, sceleribus malleatum, incude delictorum meorum exasperatum, ignibus concupiscentiæ meæ tamquam fornacibus temperatum? meæ ergo duræ illæ manus. Felices, quia amoris meæ eductrices. Et quæ eduxisset tam altè habitantem? mollis omnis caro est. Ludit in superficie. Tentandum hoc profundum certiore firmioreque bolide fuit. Et obduruerant latera, totque iam seculis occalluerant solibus excocta. Quid face-

ret nuda manus? ferro & chalybe opus erat, Valentioribus nimirum remediis educendus amor erat, tot propugnaculis obsessus. Ergo ferro tentata & inuenta via est. Quæ aberrantem me & alia omnia cogitantem, ad intima amoris deduceret habitacula. ô sit æternùm! ibi conuiuã, ibi commoriar dilecto. Mori enim ibi, vita mihi est, & non moritura vita. Quam ita demum voueo, vt nullam mihi velim vitam sine fortunata hac morte. Audi hæc vota dilecte mi. Quando?

O quando mens hæc generosæ prodiga vitæ,
Pectus in hoc patulum deuomet hanc animam?

vt sedem ibi figat æternam; dilecti q; mei cor exanime noua animet anima; vt spoliata anima sua, anima viuat cor illud mea. Felix anima, q̃ triduano peregrinante exilio, anima dilecti mei, vicariũ præbes munus: magis

gis etiam fortunata, cùm dilecti tui anima vita viues meliore, nobiliore. Da hoc qui solus, potes dilecte mi, vt tota tu viuas anima mea, ego tua; æternaque sit vicaria hæc commutatio, commigratio, animatio. Hæc requies mea, cælum meum. Oppugnent hostes, & vniuersa incurrat inimica manus, omnes inferorum acies, illectrix caro, superbiæ & auaritiæ agmina, & quidquid vsquam insurgat tempestatum minarumque: latus hoc mihi pro propugnaculo erit valido & potenti, quo tectus aduersarias rideam molitiones; & tamquam vento raptam paleam excutiam omne hostile ferrum, iacula, fraudes, robora, quocumque patrenata. Fluctus cogita, & superstantem rupem. Fremant illi, sæuiantque & insurgant cælo minitabundi: quid nisi iras suas bibent repercussi & fracti illæsa victrice rupe? eadem de valido hoc latetis propugna-

culo cogita. Irruat quidquid terris inferisq; magnum validumque. Fluctus videbis rupibus repercussos, festucas montibus incurrētes, imbellemq; nudamq; Pygmæam manum, armatis gigantum exercitibus insultantem. Eueniant hæc mihi propugnacula, castraq; tutelaria æternùm, vt protegar illis omnibus æternitatis annis. Cōcede hoc mihi dilecte mi, dilecte votorum meorum. Delitias, opes, honores, & quidquid terris gaudiorum, dignitatumque est concede aliis. Hic mea possessio, hæreditas mea, delitiæ, voluptas, gloria, scientia, corona mea, & omnia. Extra te pauperies mera, inscitia, inbonitas, dolor, mœrorq; præcordia exurens. Procul hæc à me, quia procul ab amoris domo, in qua æternùm viuam illi, & illi æternùm soli, & ille mihi.

CAR

CAPVT XII.

Votum vulneribus Christi.

SITIO. & iam exaruerunt fauces e-mortuo palato. Nec duram quis-quam sitim leuat. Immanis inclemē-tia, potum animo delinquenti, & iamiam morituro negare. Vina pro-pinas? mors in hoc poculo est. Nolo vina, quacumque gemma rideant, quocumque flaueſcant auro, qua-cumque enata vite. Fel merum mihi sunt & sitienti mors animæ. Aquam præbes? quid mihi fontes & flumina narras? nec toto satier Oceano. Nisi fontes largiaris euaporato amati cor-pore salientes, aut torrentes oculis proruentes, aut flumina latere de-currentia. Hæc si concedis, satior. Magis tamen sanguine leuor. San-guinea namque hæc sitis est, sangui-ne sedanda, & non nisi amati sangui-ne. Vt non immeritæ iam cant vo-

ces

ces anhelo sitibundoque pectore ductæ,

Sanguine quando tuo satiabor, vulnere quando?

Quando eris, ô, nostris spongia vulneribus?

Quando dabis nostris latices tua vulnera Christe?

Quando bibent quidquid sanguinis impluitur?

Quo plus Christe bibes, plus sanguinis exundabit;

Quo minus ebiberis sanguinis, hoc minus est.

Ergo, vis sanguis fluat vt de diuite vena,

Largiùs hac bibito, largiùs ipsa fluet;

Sin mihi vis sanguis fluat vt de paupere vena,

Parciùs huc bibito, parciùs ipsa fluet.

O fluat. & mystis lachrymis duo flumina surgant,

Sanguineis lachrymis flumina mysta tuis;

Flumi-

Flumina per ſalebroſa tibi ſuſpiria ducta,
Nam placet ingenio fractior vnda tuo;
Perq; genas qua labitur aſpera deturpatas,
Eſſe ſoles in qua remus & vnda ſimul.
Qua ſulcante genas, felix innauigat æquor,
(Chriſte ſit æternàm) mens tua fida ratis.

Satior hoc Chriſte medicabulo flumine tuo; ſatiare pœnitentis & amantis meo. Felix tu mihi ſpongia purpureo rore madida, qua & abſtergas noxia, & largiaris profutura. grata ſim ego tibi, qua quidquid hic melioris ſanguinis nomini fluat tuo. Fruamur his mutuo ſpongiis fontibusq;, dilecte mi. Sed prior ego fruar tuis. Nam ſi tuos ſubtraxeris; elangueat neceſſe, adeoq; & moriatur omnis vena mea. Diuite currant tuæ fluxu; diuite current meę. Verũ quid quæro fontes? null⁹ mihi orbis emetien-

tiendus, aut tamquam vellera vltimo sole quærendi. Video in procinctu perennes desideratosque fontes dilecti mei manibus, pedibus, latere scaturientes. Quoscumque non iam illex malorum improba, sed amica exasperat sitis, accurrite; quoscumque non carnis fatua, sed melior decoquit flamma cælo reponenda, accurrite. Patent fontes, fluminaque diuite manuum, pedum, lateris scaturigine profluа. Nulla hic auara dextera, non pes retractior, non emarcidum latus, & succo suo viduum. Prodiga hic fluunt flumina vena. Quæ non longo circuitu nascuntur in maria. Bibite & saturamini quicumque noui nostri Gedeonis militia digni. Bibite & inebriamini quicumque digniori iam militiæ Christi nostri sanguine tamquam sacramento adscripti. Quid heres anime? lauari his fontibus potes, natare fluminibus, nauigare Oceano, omnibus

bus exsaturari. Aude. Nam & vltrò prouocat, qui profundit. Nē time. Peccata terrent? lauare his balneis lachrymis, sudore, pectorali lympha sanguineq; dilecti tui natis.

Verecundia retinet? quid æger ad medicabulas verecundaris aquas? nusquam magis quàm in re salutis verecundia noxia est. An exspectabis donec præcordia depascatur æstus sera pœnitudine, sera retectione? horres maiestatem? claui & spinæ, crux & lancea, lachrymæ & sanguis hominem suū loquuntur. Propera. Distuliſſe in re salutis, fatuum; vbi de æternitate concertatio est. accede & fidenter hauri. Fiducia, initium salutis est. Nimius timor, & in desperationem vergēs ad infelicem æternitatem semita est. Ergo propera & hauri nec contentus fluminibus latè diffusis, capita ipsa fontium pete. Pedes amplectere, stringe manus, circumdare lateri. Nusquam parce.

etiam,

etiam, ô liceat! cũ sanguine animam bibe. ô pedes! quando vos amico lachrymarum proluam balneo? quando siccabo cum dilecta, cuius in Euangelio decantata laus est, capillis ancillantibus? ô manus! quando infigam casti pudoris oscula? nec dimittam, donec cum luctatore tuo benedixeris mihi seruo tuo?

O latus! quando conuoluar tibi, audaci licet, amico tamẽ nexu? quid fores pulsas anime? ingredere. Patent ostia. Nullus hic iudex, carnifex nullus est. Medici, patris, sponsi tui thalamum hic habes. Ingredere. Ne parce. Etiam interiora pete. Nec vestibulo contentus, atria percurre. adeoque magnæ huius domus intima scrutare. Nec intactum quidquam permaneat ab auida auaraque manu tua. Rape. Furtum hic omne, victoriæ seges est. Nec sacrilegia pertimesce. Tuum est quidquid hic est, amati donatiuo. Etiam cur ipsum rape felix

lix prædator. Ac ne excors tam quam sine anima maneat dilectus tuus, cor tuum repone beata demutatione. Falle, si potes. Dulces amoris ludi dolique. Nil time. Fefelliſſe in amorisarea viciſſe eſt, amaſſe eſt. Neque enim vltra amorem doli, aut ſine illo. Priùs tamen ſatiare & inebriare vulneribus. Ne verere. Laudata hic ebrietas eſt. Quin & ante diſrumpere quàm finem ſtatuas. Felix, ſi animam in his poculis poſueris, ſi in amati vulneribus animam efflaueris. ô pocula, fontes, torrentes, flumina, maria. Bibam tantùm æterna potatione, nec antè finem poculis, quàm vulneribus ſanguis. bibe anima mea. Vbera ſunt purpureo lacte plena. Quid matrem verecundaris infans? an fors hic aliquis ludit? mentiri non poſſunt matrem diſtenta lacte vbera. Secretum premat vtero, vbera loquuntur. Audenter inuola. Tua ſunt hęc vbera. Tua ſunt. Quæ non

tenui

tenui auaraque venula nutrimenta ſpargunt, ſed ingenti oſtio nutritia flumina fundunt, prodigoq; ſypho-ne excutiunt fontes. Aude, & bibe anima mea. Manant hæc vbera tibi ſiti reſtinguendæ, prodactæ ſaluti redhibendæ, vitæ reparandæ. Fruere delitiis iam plena ab vberibus genitricis tuæ. Nuſquam minor error q̃ in vbere. Nuſquam alimenta certiora. Paſcere anima mea tam diuite fluxu, purpureoq; plena lacte gaude & exulta, non iam dupondio, ſed Oceano ſatur. Verùm neque hic interitura lilia, ſed inter æterna tura vbera commoraberis, exſatiata ab vberibus lateris dilecti tui. A quibus nulla te tempeſtas, vis inferorum nulla, quocumque ferro aut dextera reuellat; præmiaque nulla quocumque ſponſore oblata; minæ nullæ quocumque carnifice intentatæ retrahent. Hic requies tua magna nimis, vt ingẽti iubilo æternùm canas,

Dilectus

Dilectus meus mihi, & ego illi inter vbera commorabitur.

Felix commoratio pendentis inter vbera purpureo lacte plena. è quibus sugat hauriatque quidquid magnum, quidquid optandũ: quidquid delitiarum gaudiorumq; in omnem æternitatem voueri aut sperari, quidquid largiri cælum potest. fiat. & iam in solidum renuntio gaudiis, cæloq;. Nam quod cælum dilecti mei manuum, pedum, lateris vberibus, aut excogitari nobilius, aut desiderari possit maius, in quibus æternùm pascar amoris mei nectareis fontibus vndiq; circumstagnantibus? nescit amor parcere, si amor est. Quin & prodigo omnis amor est, si amor est; nec finem statuit, donec se totum transfuderit in amatum. Concedat hoc mihi amor meus, totusq; felici commigratione transeat à purpureis hisce vberibus suis in amantem hanc animam, æterna hac migratione & commoratione beatam. CAP.

CAPVT XIII.

Votum patiendi cum dilecto.

VBI es dilecte mi? non inter amántes bonorum malorumq; communicatio quædam est? quid ergo solus pateris sine me? aut desperasti de amore meo? & excludor vinculis, flagris, corona spinea, clauis, cruce, lancea? quousque diffidis de amore meo? nam si non diffidis, cur non admittis socium sanguinei sudoris tui? cur non ponor in agonia tecum? cur inter suspiria hæc mea, non fluunt sudores tamquam riui, non salit sanguis tamquam fontes? non stagnant sudore & sanguine firmati balnea, tamquam lacus? cur non reserantur venæ meæ flumina deuomentes, quibus omni deciduo imbre fœcundius tamquam Nilo animæ meæ hortus irroretur? cur sudorum sanguinumq; fluminibus non

nato

nato tecum? cur sanguineo tecum imb e non perpluitur corporis mei terra? nam qui hic obices intercurrunt? peccata? si non sat lota sudoribus anima, lauetur sanguine. Si ablutio criminibus minor est, natet sanguine, totoq; se iam sanguineo proluat flumine. Largire hoc tantùm dilecte mi.

Non quero delitias aut epulonias mensas, non vina consulibus numerata, non purpuram libidine tinctam. sudore sanguineq; madentem quæro. Liceat hunc tecum profundere, liceat nocentem hunc innocuo tuo miscere. Si negas? mori saltem liceat, & inter spinas, flagra, clauos, lanceam, animam ponere indicem amoris mei, amoris tui. Si ab amante socia deposcerem gaudia, negaret amans? nunc vincula & spinas posco. Aut si parum est stringi loris, conterebrari spinis; en pedes, en manus. Confige clauis. Si nec sic ex-

pleo

pleo amorem: en latus lancea reserá-
dum, adeoque corpus totum cruci
commetiendum. Non quæro lauro
aut coronari violis: spinis volo. Du-
rum negare spinas. Si hedera, olea-
stro, palma, palmite, aurove aut gē-
ma redimiri peterem, num diffidere
de amati beneuolentia debebam?
nunc cum spinis coronari deposcam
nec impetrem, quid dicam? felices
spinæ dilecti vertice purpuratæ! dul-
ces spinæ: non iam spinæ sed rosæ.

Ite delitiæ. Nullæ mihi certiores,
castiores, dilecti mei spinis. Vos os-
culor, amplectorq; omni viola sua-
uiores, tam nobili sanguine fœcun-
datas. Quas hinc rosas sperem? Sed
neque hæ spinæ spinas, botros pro-
ducunt, quibus inebrietur dilectus
meus. Etiam pendent cincinni capi-
tis illius musto pleni. Carpe anima
mea. Bibe & exsatiare purpureo hoc
musto, spinis tamquam torculari ex-
presso. Et florent non iam vuæ tam-

quam

quam in semine, sed musteo purpureoque deprimuntur onere carissimi verticis tui palmites. Carpe & inebriare. Nulla vitis tulit has vuas cælorum cellis reponendas. Nulla vinea tulit hos fructus perditæ libertatis pretium, æternæ gloriæ pignus. Concede dilecte mi, vt & ego coronatus his spinis, vinea fiam, vuas germinans sanguineo musto signandas, quibus inebrieris delitiis affluens; & bibas in iucunditate vinum quod tibi fuderunt spinæ tuæ, fœcundæ matres, vbere vindemia, vinitore te in omnem æternitatē victuræ. Verùm non exsatior nudis spinis quacumq; purpura vestitis: ita auarus omnis amor est, perennemque sitim suam inæstuans fatetur. Ardeo. Non extinguitur auida hæc sitis vna vindemia, non expletur vno torculari. Alios vtres, vasa scrutatur alia. Etiam inuenit sedula scrutatrix vasa alia inæstuantia vino optimo, omnium ægritu-

gritudinum medicabulo, quale in illam diem nullæ terris cęloque vites tulerunt. At quis reserabit claustra sitienti nouercali manu signata? fer- rei reserat ut claui, quis vetet bibere? bibamus & inebriemur anima mea Amoris vino. Parum est; nisi iisdem clauis configar amato, nulla sitim le- uabunt vina. Neque nunc tam vina volo quàm clauos. Vos amo & colo. Tantùm miseremini languenti, ad- eoq; & morienti animæ. viuam? non viuo, nisi vestro robore confixus a- mato, manibusq; manus, pedibusq; nectatis pedes.

Eueniat hoc mihi beneficio ve- stro dilecti ante omnes claui. Magn vobis debeo qui amorum reserast claustra, vt exsilirent fontes æter nùm medici, qui languentem an mam & tantùm non abituram pu pureo suo reuocarent nectare, to seculis negato. Maiora tamen vob debebo, si inenodabili hanc an-

mam

mam nexu confixeritis amato, vt per pedes manusque illius, pedes manusque meæ configantur cruci. ô sentiam! veniatque tot votis optata dies illa, qua indissolubili nexu configar Amori. Non timeo duritiam ferri aut chalybis. Molliores mihi claui omni spongia & pluma sunt, si his adnectar tot modis amato mihi amori meo cruci affixo. nam quid extra hanc mihi prosint claui? non benè vuæ premuntur extra torcularia. Vuarum mearum votiuum torcular crux est, & hæc sola. In hoc premi conterque cum dilecto meo, beatum. Vt fluant vtrimque amica vina, sudoribus, lachrymis, sanguine elicita, diuite terris fœneratione, felici cælo reconditorio æternùm reponenda.

CAPVT XIV.

Christi & peccatoris disparitas amoris vinculo sociata.

EXitium atque salus, tenebræ, lux, nox q; dies q;
Quàm sunt disparibus illaqueata iugis?
Tu saluare studes, ego perdere. dispare voto.
Tu mihi dux, at ego transfuga miles ero?
Tu prodesse, at obesse ego. tu scelus exhorresis,
Me iuuat immersum viuere criminibus.
Cùm tu de lachrymis, de sanguine balnea fundis;
De scelere ipse tibi balnea inundo meo.
Huc scelerum quisquis temulentus vinaria guris,
Pocula iam Christi de lachrymis bibito.

Huc scelerum quicumq; tibi fabricas cataractam,
Hæc maria ex Christi nata cruore bibe.
Huc scelerum quicumq; faces medicatáq; Auerno
Tela iacis, Christi parce cruci & lateri.
Næn scelerum quodcumq; iacis, petis improbe Christum,
Hoc caput atq; manus, hoc latus atque pedes.
Desine. sat scelerique datum, sat sanguinis haustum
Innocui. in te isthæc noxia tela cadent.

Quàm ludis in humanis Deus, si ludere est in tam seriis admirationẽ stuporemque excitantibus? quàm gradimur contrariis viis & votis, ego & amor meus? quãtum ego præceps in interitum labor voluntaria iniuria, tantum ille me retrahit potenti dextera? quantum ego in seruitutem omnium seculorum infelicissimam

pronus agor, tantum ille me in libertatem vindicat armata manu. Quo magis vltroneis inuoluor tenebris, hoc clarior sole depellit has noctes Amor meus, scindens has inferorum nubes, densasq; nebulas luminis sui radiis dissipãs. Et quo frequentiores ille mihi auxiliatrices porrigit manus, hoc ego prolabor frequentiùs. Matrem cogito, & labentem infantiæ primæ sobolem cunis adhuc natam. vincit affectum matris, qui non iam filio, sed hosti dexteram porrigit; & toties porrigit, quoties lapsus præsentiscit periculum. Cecidi, & vulnere aliquo immani teneor: medicam promittit manum. Respuo? etiam lacrymas precibus miscet. Obdurui? callum hunc, sudorum lacrymarumq; suarum balneis tentat, vt videat an tepenti hoc balneo scabrities emollescat, quam suaui deinde pœnitentiæ scalpello in solidum tollat. Perstat inter hæc bal-

nea durities, & cor impœnitens, omni rupe durius, quàm vel frequentata ſtillicidia, vel guttæ leniant, ac nec integra emolliant Amoris mei balnea, oculorum illius fontibus nata, totoque deſudata corpore. Vt durior iam ſim ferro, quod molleſcit fluitque fornacibus: at ego nullis Amoris mei flammis. Durior ſim chalybe, cùm ſolaribus incaleſcat radiis, ego nullis Amoris mei radiis, ſolaribus infinitùm potentioribus. Conſtrictior ſim frigidioráque omni glacie, ſoluitur hæc ignibus, cælique teporibus; ego nullis amoris mei ignibus, elementario infinitum validioribus, nulloque cæleſti illius calore, aut liqueſco aut ſoluor. Et pergit tamen Amor, ac quaſi ab vltima deſperatione conſilium capit. non profuerunt monita, fruſtra iactatæ minę cælorum, inferorum. Nequidquam exemplis omnium ſeculorum doctus, non veteribus, non nuperis. nec

toti lachrymarum sudorumque torrentes aut expugnare duritiem, aut eluere valuerunt sordes, decurrit ad remediorum vltimum, vt, quod non potuerunt oculi, perfringant venæ. Totis proinde ostiis, qua data via, sanguinea proruũt flumina. Ita non satis fuit amori sudasse sanguinem, profundere lubuit, vt maria stare crederem. Pedes manus, caput, latus sanguinea deuomũt flumina: vt non mireris tot fluminibus enatum mare magnum, cui tamquam certiori balneo innatet peccatrix ac præuaricatrix hæc anima, hauriatque totis faucibus amicum elementum, non manu, aut prono iam ore, superficiē libans, sed toto corpore vniuersum elementum hauriens. Et hæc hostilia hostilia intentanti. Fluxerunt hæc ad aduersantia, & tamquam ab Israēle ad Philisthæa agmina: quid fiet ad amica, ad vnius animæ & oris? quò nō rapis amorem amor? quid nō extor-

quet

ques ab amore, qui nihil intactum relinquis, nec parcis animæ? mitiùs sæuis in Iobo, cuius post abactos greges, post filios vna ruina sepultos, post delassatam malis vxorem, post immundam vlceris redundantiam, sanguini parcebat & animæ. Mitiùs in Stephano, cuius cùm lapidatur corpus, animus in cælo est. Et quid sentiant sancti reliqui? quorum cùm ignibus torretur cum Laurentio caro, cùm distenditur cum Petro in cruce corpus, cùm nudatur cum Paulo ceruix sub gladio, cùm secatur cum Isaia, cùm in neruo suspenditur, cùm tedis ardentibus vritur, laminis candentibus stringitur; cùm variè torquetur cũ Catharina, Thecla, Domitilla, Agnete, Agatha, Susanna, Christina; mens in cælo est, felicique; & numquam dissociando connubio, inter carnificis manus, iuncta amori suo est. At amor meus etiam à cælesti Patre derelinqui se queri-

Matt. 27. tur, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti mei?*

Quid non potes amor? cùm consueto reliquorum solatio destituit amantem, ne quid videretur deesse iustitiæ diuinæ; néue hæc prætexeret leuamenta dolorum, & è consolatione pœnarum mitigationem: néue quidquam è summo illo amore derasisse solatiorum magnitudo videretur: simul etiam vt reddamantem excitaret in sequelam, in amorem non parem, quantum tamen humana æmulari & assequi diuina possunt. ô Amor! & audeo dicere, extra omnem amoris lineam amare, qui sine amat. Quid frustraris amantem Amor? inuitas in sequelam. Quis assequatur tam prodigè amantem? sed & frustra sequar, cùm assequi negatum. Sequar tamen, licet in medio cursu ponenda hæc vita. Satis enim erit voluisse. Reliqua cõcedet amor. Quamquam & voluisse ab amore fi-

sius

sine quo nec velim quidem nec velle possum. Semper ergo disparitas in amore? nihil diffiteor vincor. Nec attingere aut assequi currentē possum. Insequar tamen. Quis scit an in medio cursu destitutum anima-, non soletur Amor? vt vel vltimum spiritum colligat, sinuque reconda: suo. Quod si fecerit, næ ego beatus, cùm discrimine omni sublato iungar Amori, vniuersumq; spiritum meum imbiberit Amor meus, beataque transmutatione in suum transformauerit, mortalem in immortalem, humanum in diuinum. Quod vt fiat, tolle Amor meus impedimenta amoris. Magnum enim chaos inter me & te, vt nec suspirare quidem possim ad te ingenti criminum mole oppressus. Pilæ hic sunt Pyrenæi saltus; paleæ Alpes vento raptæ; pluma leuiores Apennini, & quicumque supra quod pluitur & ningitur verticem tollunt montes, si sce-

lerum meorum super positam huic animę molem circumspectem, à qua quis me liberabit, aut eximet, nisi tu solus amor meus? exime meus amor si amor es. Nam quò mihi sudores & lacrymæ, quò purpura natantia balnea, nisi sub ingenti hoc pondere fatiscentem animam, reddas sibi, reddas tibi? ita fiat amor meus. Aut si hoc negatum amanti, da saltem vt in mediis mœroribus colliquescat hæc amans anima, fouluaturque in amicum sibi elementum, in torrentem sudoribus natum, in flumen lachrymis delapsum, in mare sanguine progenitum. Vt cùm nihil habeam aliud, nec amorem possim; dolorem saltem amoris ante ambulum, testesque optati amoris mei, sudorem, lachrymas, sanguinem propinem Amori, qui debeam amorem.

Fluite meæ lachrymæ amoris indices, profluę meus sanguis, vltimū

amoris

amoris mei symbolum, vt iungaris amori, & æternùm indiuiduo nexu iungaris Amori. Laxate sinus oculi mei, pandite ostia venæ meæ. Quid auaro ô nimiùm vtero celatis partum? fundite profuturam cælo sobolem, vt nihil iam imprudenter prouidi recondatis, nihil seponatis in ætatem. Amori recludantur ostia, referentur claustra. Vt cùm aliud non possim, sentiat me dare quod possum. Alibi parcite. Omnis hic parcimonia noxia est. Prodigite caræ mihi matres, sudorum, lachrymarum, sanguinis, quidquid vobis concessum cælo, quidquid adnatum terris. Riui isti, flumina recondent cælo; fontes isti, maria recludent astris. Nemo vos seducat, nec inanibus circumueniat verbis. Fœneratio omnis hæc largitio est, centupla fœneratione cælo reddenda. Nec seculum hic intercurrit. Pauci anni, menses, hebdomadæ, dies, fors & horæ

Horæ non multæ. Aude anime & te totum Amori dica sacraque, vt æternùm illo fruaris, & ille non dissociando æternùm nexu se iungat tibi.

AMO-

AMORIS

DIVINI

PARS TERTIA,

CHRISTI

POST

RESVRRECTIONEM

facta complectens.

CAPVT I.

In Resurrectionem Domini.

VNA *Sabbathi valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini* IESV. *Et factum* Luc. 24

factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuẽtem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter loquutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Non cæcus omnis amor est? defert inungendo IESV aromata, qualia consueuit amor mortuo. Olim vna

Marc. 14. earum *habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput eius*, eadem paribus succensa amoris flãmis *accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes* IESV, *& extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti.* Et

Ioh. 12. passa caluniã, reperit defensorẽ. Felix Magdalena vnguẽto effuso, felicior cùm capillis tergit, felicissima cùm oculorum lauat flumine. Non amabat

bat quæ flumina fundebat, quæ lauandis balnea pedibus? magnum arbitramur, si raro stillicidio rariores prosiliant guttæ, quibus vix madeãt genæ, nulla inebrientur ora. Quibus ardoribus inæstuasse credam, cui tota illa oculorum nubes tot antè sceleribus congelidata, ad pedes degelascit amoris sui, tamquam si ruptis aggeribus latè se per obuios campos diffundant flumina, aut si apertis cataractis cæli depluant imbres? non illud mihi liceat dicere; Plus lauit, plus tersit, plus amauit? amoris enim hæ lachrymæ fuerunt, sed & capilli amoris. Quamquam nesciam plus capillis quàm terserit osculis, quæ lacrymarum iam fontibus ebria, dum bibit funditque lachrymas, interque densa amoris suspiria, tamquam inter torrentium saxa, aut salebrosis excussa rupibus puriorem fundit vndam. Non amabat quæ sic amabat? & cùm ferè secretum postulet amor,

mor, quanto ardebat amore, quæ publicabat amorem? quæ in omnium oculis flumina spargebat amoris? dandum aliquid amori est. Cæcus est. Neminem illa viderat, præter Amoris sui ibi caput, alibi pedes. Ignorabat reliquos, cùm illi soli oculos haberet illi soli torrentes fluerent balnea facti dilecto suo: & satis illi erat amare. Nescit amor erubescere, maximè vbi totum hominem occupauit amor, non magis quàm ebrietas pudere. Et ebrietas quædam omnis amor est, eo maior quo potentior.

Hinc illi amoris musto madidi qualia deructant verba? accedant minæ & verbera. Nequidquam speres. Plus etiam se prodit amor si comprimas. Et quis comprimat amorem, postquam gustauerit vbera fragrantia vino & vnguentis optimis? postquam introductus in cellaria, audiuit amicas voces, Bibite, & inebriami-

briamini cariſſimi? poſtquam liquefacta eſt anima ardoribus, hauſitque poculum ex vino condito, muſtumque malorum granatorum? audeo. Comprimit? non eſt amor. Aut ſanè amoris quædam anteludia ſunt, aut poſthumæ & cadentes vmbræ. Amabit pocula, quiſquis amorem amat, & plenis hauſta pocula faucibus. Hauſerant illæ plenis doliis quæ parauerant aromata, vt vngerent IESVM. Toti nimirum iam illa corpori parauerant, cùm amatrix illa aut capiti, aut pedibus tantùm. Si amorem ab euentu cenſes, quo madebant amore quæ vniuerſo corpori vnguenta parauerant? aut putas defuturas fuiſſe lachrymas lauando corpori, cum ſociam haberét illam, quæ fœcundiſſimo oculorum ſuorũ imbre lauerat pedes? aut amorem illius decreuiſſe quis arbitretur, & exaruiſſe venas tã diuite ante fluxu nobilitatas? creuerant. Et pro torrentibus.

bus & fluminibus, toris iam deuomuisset ostiis maria. Et intercurrit hic tamen error. Non quòd minuerit amorem error; cùm natus hic ab amore sit error, impatiensq; moræ, nec resurrectionis memor, aromata defert amoris indices, & qualia inter epulas imperauerat non semel amor.

Nec contentæ reuolutum vidisse lapidem resurrectionis testem, ingrediuntur monumentum, explicaturæ aromata quibus vngerent corpus. Virile corpus tam castæ ignorat amor sexum, adeoq; mortuus omnis in amore sexus. Nec discrimina hæc cælo nota, sed neque in terra pectoribus quibus insedit amor cælestis. Vt nec erubescere in primis parentibus olim nuditas sciebat ignorata. Accessit præuaricatio, & simul folia vestis rubori tegendo. Idem in amore cogita, cordeq; amore ebrio. Non iungitur corporibus, coalescit animis,

mis, & connubia iam quædam animorum sunt, castusq; castarum mẽtium torus: nec vlla hic voluptas extra animorum, & qualem cælo exspectamus.

Quærunt corpus nec inueniunt. Nouus hic ludit error. Quærunt in monumento corpus quod animæ iam reddi tum renunciauerat monumento. Et consternantur animis. Quid miraris consternari amorem amato destitutum, animam animi rum sua? vt mirum sit steriss, nec animæ deliquia passas. Olim vna ex his amore saucijs surgit, per vicos quærit & plateas; ac tandem moræ omnis impatiens prorumpit in hos amoris voces: *Adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo.* Et audit, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiuraſti nos? Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum, quò declì-* Cant. 5

declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum. At noſtræ hic amantes hærent conſternatæ, cum fruſtratas ſe viderent amore ſuo. Tam inopinato caſu, & præter omnem percuſſæ opinionem quid niſi hærerent attonitæ? intercluſerat vocem amor, & quod quærebant corpus viduauerat amantes voce: mirum ſi non & anima. Etiam nihil quærunt cum deſtitutas ſe vident corpore quod quærebant; & cui vocem animamque incluſerant quam habebant.

Verum non patitur amor diutius hunc amantium ſtuporem; mittit duos viros in veſte fulgenti. At illæ declinant vultum in terram. Diſcere verecundiam caſtitatis, indiuiduam de ſocietate comitem. Ad virorum aſpectum deiiciunt oculos. Sed angeli erant. Etiam ad angelos erubeſcere didicerant in virili forma. Non erubeſcerent ſi concederetur quem amabant, & cui vngendo aromata

deru-

detulerant. Illos autem administratorios spiritus amoris sui magni, licet non auersentur castimoniæ metu, non agnoscunt vt animarum suarum sponsos: quare nec omnẽ exuũt pudorem. Et fieri hic videmus quod in amante solet, erubescit si ab alio quàm ab amato deprehendatur amor. Erubescunt & nostræ cum amorem suum vident retectum prodiumq;, quem celatum arbitrabantur. Quare & valdè diluculò venerant, vt alienos excluderent oculos; quò magis erubescebant cum confilia sua amoremque propalatum viderent, intuerenturque inassuetos castimoniæ vultus. A quibus audiũt, *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* nimirum monumenta mortuorum sunt. Erratis amantes animæ, viuit Amor vester. Quin & viuit in cordibus vestris. Et ni viueret præualida etiam vita & potenti, non tam ebrio cæcoque studio diluculò valdè prope- *Luc. 22.*

properaſſetis ad monumentũ. Quid quæritis mortuum? vita illum viuere, totaq; e viuere anima, res docet. Neque enim ab em ortuo igne tantę exurgunt flammæ; aut languentes flammæ tantùm diffundunt ardorem, qualem vos ipſæ nec mendacio quidem tegere poteſtis. Non ſunt hæ ſcintillæ prunis ſuis excuſſę; flammæ ſunt toto robore viuentis ignis. Quid quæritis in monumẽto, quem circumfertis pectoribus? verè cæcus omnis amor eſt, adeoq; nec quod videt; quærit quod manu tenet. Iam quò vobis amor mortuus? non magis quàm flammæ igne mortuo, non magis quàm Sole lux mortuo. Et verò vt igne mortuo moriuntur flammæ, nec iam vltrà flammæ; ſed ignauus quidam tepor morti proximus, mortuoq; lux moritur Sole, nec nomen meretur lucis. Veſtigium verò quod videmus lucis, vmbra veriùs quàm corpus eſt, cum indiſſo-

ciando

ciando quodam nexu flamma copu-
letur ignibus, lux Soli; vt nisi perpe-
tuo quodam vitæ fluxu, & flammis
suis influat ignis, & Sol luci, lux in-
tereat & flammę: ita nisi amoris flam-
mæ luminaque ab igne Soleque suo
magno, continua submini strationis
serie foueantur; momento pereant.
Viuunt, dum viuunt illi, qui ab ignis
sui Solisque magni vita, vitam mu-
tuantur suam, ita vt quamdiu illi,
tamdiu lumina & flammæ. Maiora
ne posce. ab amore nimirum magno
reliqui habent amores, quòd dici &
haberi possint amores, deciduæ ni-
mirum quædam partes amoris ma-
gni, ignis illius flammæ, lumina illius
Solis. Frustra proinde quæritis amã-
tes animæ. Nullus hic amor est. Vi-
ueret, si amor esset. Si moritur, amor
non est. Nescit amor mori. Vestigia
moriuntur amoris, & flammæ per-
eunt, & lux interit; nec omnes tamen
flammæ pereunt; nec lux omnis. Illæ

pereunt, quas ignibus & Soli suo dis-
sociauit inimica amori manus; illæ
vita viuunt æterna, quæ perpetuo
nexu ignibus Soliq; iunguntur suo.

Iam quò hæc aromata inungen-
do amori? velletis mortuum amo-
rem vestrum, & hoc quasi vltimo
donatum munere, renunciare amo-
ri? & extingui flammas, mortuoque
igne congelascere in vobis corda,
nullo æstu dissoluenda? & pro luce
tenebras succedere inimicas lucis,
pro die noctem? procul hæc aroma-
ta ab amoris domo: mortuorum illa
sunt; non moritur amor. Vita viui
æterna. Quòd si quando, aut flam
marum suarum subtrahit ardorem
aut lucis suæ radios, non moritur a
men, sed maioribus ardoribus & l
ci, flammas radiosque parat nouo
Idem euenire videmus illis, qui sal
se exercent, retrò ferunt gressus,
validius prosiliant. Facit idem amo
vt referre credas pedem & fuga
me

meditari, cùm validiori se comparet saltui, flammasque cudat incude noua, lucemque conatu paret maiori. Amoris hæc propria sunt. Quem frustra in monumento quæritis, *non est hic, sed surrexit.* Viuit, non est mortuus. Et vitæ huius viuida vos ipsæ defertis signa amoris vestri vitam testantia. Non *recordamini qualia loquutus est vobis. Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere?* non hęc omnia amoris sunt, & amoris documenta maxima? quibus validioribus verbis potentissimi amoris vim explicet? *oportet filium hominis tradi.* Quis coëgit? non libera & vltronea erat traditio? quis coëgerat ad Olueti hortum? quis post sudoribus, lachrymis, sanguine temperata balnea, proditorem exspectare, discipulos à somno excitare, osculo Iudam dignari? quis vltrò se hostibus iam retrò lapsis offerre, vinculaque

induere suasit? amoris hæc fierunt imperia, & quis alius imperaret Deo? quis ad tam indigna, tam aduersantia impelleret Deum? *oportet filium hominis tradi.* Necessitatis hæc verba sunt. Imperia sonant. Quæ necessitas incubuit Deo? ab amoris imperio hæc nata fuit: nec alio tamen quàm ab ipso Deo, quasi aliud amor aliud esset Deus. Nam & Deus amor est, & amor Deus. Vt ipse iam Deus imperauerit sibi, amor amori. Amor Deo, Deus amori.

Nec imperii huius caussa alia quàm prodigus amor mei. Quem arctioribus contineri limitibus cùm nō permitteret Amor amore meo ebrius, quasi crapulantis à vino, quidquid habebat, quidquid hauserat profuditamoris: etiam viscera & sanguinem, ne quidquam reseruasse videretur sibi, aut è prudentia seculi seposuisse in annos. Omnia amato tradidit. Iam cùm non posset sanguinem,

nem, quo carebat Deus, ne defuisse videretur amato, sanguinem de virgine mutuatus est, quem daret amanti, cùm sciret nullam inter homines certiorem sanguinis contestatione esse. Nec minor ante carnem & sanguinem, amor in Deo. Minor tamen ostentatio fuit. Et quis sciret amorem cęlo reclusum? homines eramus de terra figulati, carne & sanguine vestiti. Nisi proinde carne & sanguine vestiri videremus amorem, peregrinaremur ab amore: nec iam amorem caro & sanguis crederent, quem nulla carne & sanguine vestitum viderent. Et nescio quomodo naturæ quadam similitudine crescat amor: vt licet reliqua non raro absint, sola similitudo conciliet amorem. Et quę caro aut sanguis trãscenderet æthera, penetraret cælos, coniungendus amori? non cadebãt hæc in carnem & sanguinem. & amabat tamen Deus; ardebatq; ingenti

amoris igne. Vt ergo caro & sanguis maiores de propinquo sentiret flãmas, quæque carnem & sanguinem plusculum etiam saperent, carnem & sanguinem de virgine mutuatus est Deus, caro & sanguis factus, & amato iam similis.

Nec stetit hic amor. Sed quæ mutuatus à virgine fuerat, profudit in amatum: sanguinemque totum amori libauit amati. Quoq; potentius amoré testaretur, per vulnera illum, clauos, crucem, lanceam libauit amato: resumpturus tamen illum, vt viueret amato. Nam si in morte mãsisset sua, quò mihi mortuus amor? & mori tamen voluit, vt in amoris testationem in amati sinum exuemam diffunderet animam. Et dubius hærere amatus poterat de absolutissimo amorum, si non erogaret quod habebat. Omnia erogauit & sustulit dubium.

Queri amatus de morte potera-

po-

post omnium largitionem; reddidit se vitæ & querimoniæ iam causa nulla est. Quid ergo non amem hunc amorem? mentiar si non amo. nec vnguenta iam volo mortuo. Nam quò mihi mortuus amor? viua amat vnguenta viuus amor. Mortua cõcedit mortuis. At pauper ego sum, nudus, & donorum expers. Et diues amor meus est. Quid diuiti largiar pauper? Nemo lachrymis pauper est. Has ergo sacrabo amori; sed gaudiales lachrymas. Vt profluere eas credas ab ebria mente, & amoris mei musto plenas. ô quando! quando disruptis vtribus à valido musto tuo diffundar pedibus tuis balneum? quando perfractis aggerib. flumina tibi spargam felici natatori meo? quando discissa oculorum nube, rorem, imbresque tamquam vnguenta capiti effundam tuo? quòd si amas sanguinem, sanguiũm mihi sponsus factus? nil parco. Per torrentes & maria curri-

rite venæ amori meo, maria iam factæ non venæ; quibus amor meus peritus nauclerus fortunata amoris sui vela lætus explicet, nauigetque æternùm hæc maria, siue in amoris malitia pacata, siue in pœnitentiæ fluctibus surgentia, semper tamen amoris maria diuite venarum elargitione amori meo fluentia.

CAPVT II.

Ad apparitionem Christi, Virgini Matri factam.

EXSVRGE & expergiscere anima mea, quousq; monumento contineberis, aut quid quæris amorem tuum? frustra hic speras. En obitamicas vulnerib. & sanguine desponsatas. Ita non satis erat sudoribus aut lachrymis parasse, placuit sanguine, vt sanguinum sponsus fieret. Sequere amorem tuum anima. Neq; enim fas est diutiùs inhærere monumento,

to, aut tenebris mœrorem testari. Sat lachrymis doloribusque datum. Sequere surgentem, qui sequuta fueras morientem. Gaudia hic dies poscit. Sepone luctum mœroris testem, & comitare dilectum tuum, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis capreæ hinnuloq; ceruorum. Iam hyems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*; adeoque *tempus putationis aduenit*, & *vineæ florentes dederunt odorem suum*. Hyems illa nimirum spinarum, clauorum, vulnerum, sanguinisque sæua, qua asperiorem nulla vidit ætas, nulla videbit, abiit. Successit ver nouum, & protrusit flores in tristi monumenti semine clausos; emortueq; rediuiuæ vineę odorē dederunt. Quin & duris expressa torcularibus natant pauimenta vino; & germinarunt mala punica; & iam nata conuallium poma. Carpamus anima. è *foraminibus petræ*, è *cauerna maceriæ* sepulchralis. *Cant. 2.*

monumenti. *Vox turturis audita est in terra nostra* comparem quærentis. Sequamur amantem. An non in domum matris, & cubiculum genitricis suæ? nam cui postponeret matrem, cuius non vnus gladius pertransierat animam? quot flagra tot gladii, quot spinæ tot enses, quot clavi tot secures, quot vulnera tot mortes. Vt non vna iam caderet mater morte. Mille cadebat, quæ mille amabat modis: quoque amabat tenerius validiusq; , hoc cadebat sæpius. Quàm mollius cecidisset ferro vno, quæ tot barbaris filii vulneribus cecidit? nec dubitauit, audax in matre factum! comes adstare cruci, pascenda iam filii sanguine, quæ filium pauerat lacte; cùm vicem redderet matri filius memor vberum illius; vt quæ lacteo pauerat, purpureo pasceretur rore; tanto felicior quanto sanguinum fontes lacteis saliunt vberius, pascunt potentius. Sed & pro

duo

duobus pectoris virginei fontibus vberibus natis, quinque erogauit, vt etiam numero munificentia matrem vinceret.

Quanta amoris vis! vinci non potest. Sanè nollet. Quid faceret ergo filius, in cuius vulneribus toties corruisset mater? solari voluit, quod proprium amantium est. Vulnera, mœrores, gaudia mutuo ferunt. Benè, malè vni? benè, malè vtriq; est. neque in vno, bona stant aut mala. nam vt vna in illis anima, ita & sensus vnus est. Sociata proinde cùm fuisset doloribus filio mater, socianda fuit gaudio. Tanto nunc potentius gaudio, quanto antè validius doloribus. Amoris hæc fuerunt imperia. Nam qui matrẽ coëgerat filio sociari cruci, filium impulit gaudio sociari matri. Cogita hic matrem & filiũ anima mea. Post vincula, sputa, flagra spinas, clauos, crucem, lanceam, cogita matrem & filium. Maioribus quæ

succedunt mœroribus gaudia maiora sunt. Quæ putas vltrò hic citroq; colloquia nata? qualia nimirum ab amore solent. Qualis credis mutuo iaculatos flammas? aut quisquam arbitretur non arsisse matrem, non filium? quid Babyloniæ ad has amoris fornaces? audeo. Quid inferorum ad hos amoris ignes? aut quid elementarius hic Sol noster ad hos amoris Soles magnos? iam cùm ignibus colliquescat ferrum, non miraris steriſſe hæc corpora validioribus amoris ignibus succensa? neque adeò in vnum commigrasse corpus, animam vnam, filium & matrem? etiam chalybem vincunt flammæ; quanto magis carnem & sanguinem? vt maius mirandum, inter tot flammas carnem & sanguinem, quàm inter ignes stare ferrum.

Ardeat anima mea his flammis, colliquescat ignibus corpus. Hauriat mens hæc dulcia amorum verba

matris

matris & filii, illos oculos mutuum ignes spirantes, illas genas mutuo amore purpuratas; illa labia mutuis ardoribus rosea; illas manus mutuo ebore candentes; illas voces verbaq; candentia, ignibus iaculata; illos in matre gaudiales oculorum fontes. Neque enim exuerat etiam tum omnem hominem suum; illa in filio corporis glorioſi & ab interitu iam depurati grata spiramina. ô verba! ô voces! ô oculi, frons, genæ, labra! ô mater, ô fili! talisque filii talis mater, talisq; matris filius talis.

Indignor huic calamo, qui tam rudi ductu depingat amorem; & matris & filii amorem. Sed certiùs hæc cogitantur quàm scribuntur, & animo melius quàm charta transiguntur, silentio, quàm verbis. Largire tu mihi dictionem amor magne, qua non dicam exprimam, sed vestigia quædam legam amoris, aut deciduas quasdam illius vmbras occidente natas.

natas. Quò properas anime? siste manum. Et amorem venerare silentio, qui non potes verbo. Fors tamen aliquid possem verbo, si pectore hoc arsisset aliquando amor. Si matris, si scintillam filii tulissem in hoc corde, si ardentium flammarum calorem sensissem in hac anima. At cùm præcordia hæc possederit gelu omni Norica glacie densius, quid sperem? nec desperem tamen. quid non possunt hi duo Soles? etiam elementarius Noricam soluit glaciem, & naues Moscouia patitur. Quanto plus duo hi Soles degelascent hoc pectus soluentque animæ huius glaciem, vt non iam glaciem, sed flumina pectore feram amori nauiganda? quid si induruerim in saxa, etiam in ferrum & in chalybem? admouebor his ignibus matris & filii, quibus nolentem volentem duritiam hanc frangam, & tamquam præualido demedullem robur fulmine: vt iam non

saxa,

saxa, sed ductilis enascatur amori pulvis; non ferrum aut chalybs, sed torrentes fluant, aut saliant fontes, quibus innatet amor meus; aut bibat sitibundus, & expleat sitim post illam vocem vulnerib. natam, amore mei natã, SITIO. Bibe amor meus: sed & dilectæ matri tuę præbebo pocula, mustum granatorum meorum, pœnitentiæ & lacrymarum mustum. Ne dedignare pocula, quę amauit filius tuus, & ad quæ anhelo vltimoq; pectore, cælo terraque mirantibus, inclamauit amicum illud animę huic SITIO. Tu testis huius sitis mater, quam auidum filii pectus tamquam in testationem pignoris amoris mei, in omnem posteritatem valituro perennaturoque explicauit verbo. Aut sanè mater iam facta mihi, cùm filius factus sit mihi frater, carne & sanguine meo vestitus, adeoque caro iam de carne mea, os de ossibus meis.

Præbe

Præbe tu mihi pocula tua, & ex-
Cant. 1 pleam sitim, aut si taceo, *meliora sunt*
Cant 4 *vbera tua vino.* addo, & *pulchriora sunt*
Cant. 7 *vbera tua vino.* Quamquam & *vbera tua sicut botri vineæ: & odor oris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum.* Non addam plura. tantùm audi vota mea, exple hæc vota de penetrali pectoris delumpta, & exple æternùm.

CAPVT III.

Ad apparitionem Magdalenæ factam.

Ioh. 20. MARIA *autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus* IESV. *Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum.*

eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit IESVM *stantem, & non sciebat, quia* IESVS *est. Dicit ei* IESVS: *Mulier quid ploras. Quem quaris? illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei, Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum; & ego tollam. Dicit ei* IESVS, *Maria. Conuersa illa, dicit ei, Rabboni, quod dicitur, Magister. Dicit ei* IESVS, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum.* Stat ad monumentum Maria, quæ olim *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*, promerita audire: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quid elegerat nisi amorem suum IESVM? & quomodo *non auferetur ab ea*, quem ablatum plorans quærit? neq; enim, si haberet, quæreret. Quærere, amisisse est. An fors quærebat quem habebat, & musto plena ignorabat quē possidebat? querulus omnis amor, nisi totum possideat amatum; turturis profundit voces: nec requiem *Luc. 10*

conce-

concedit oculis, cordi, pectori, donec potiatur amato. Flammam arbitreris, quę quidquid tetigerit, adurit, vt arsisse finis sit materiam defuisse. Facit idem amor. Nusquam illi quies, nusquam ardori illius est. Vicina petit & longè posita, nec modum statuit, donec expleat vota, & fruatur amato. Hæc causa lacrymarum Mariæ. Clauserat pectore amorem suum, cuius tamen partem cùm monumento contineri arbitraretur, non tenebat lachrymas. Quid daret præter lachrymas? vnguenta parauerat. Sed aberat quod vngeretur corpus, pars altera amoris sui. Decurrit proinde ad lachrymas non inassuetum amoris symbolum. Nec primas has fundebat. Nam & de illa Lucas, *Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Eadem hic speraverat. Nec vt olim, pedes, iam tantùm,

Luc. 7.

tùm, sed corpus vniuersum lauare lachrymis grato amatori suo flumine, & capillis omni sindone amato gratioribus tergere, magis etiam osculis; vnguentis demum vngere: nec finem lachrymis omni vnguento potioribus, nec spiritalis sponsæ licentiæ osculis concessis, facere, donec arescentibus iam lacrymis, emortuis, labris, extrema integeret anima amatum, quasi animatura anima sua amati corpus, aut vni sanè monumento claudenda.

Vt vidit spem omnem ablatam, nec cõsilio iam locum, ad solas, quas habebat, decurrit lachrymas, amoris testes. Felix si tota solueretur in lachrymas; & iam caro, sanguis, ossa, venæ, nerui, lachrymæ diffunderentur sepulcro, vt nataret monumentum lachrymis, cui hæc amans innataret anima amorem suum præstolatura, firmanda monumento. In quo quod reliquum habebat consolatio-

solationis profunderet in has voces, Fluite hic mei oculi, fontes amorum fundite: profundite pectora amorum flumina: quid auaræ timidæque cessatis venæ? fundite maria, amorum maria. Natet amoris hoc monumentum imbre purpureo vestro. Quàm amicè lauabimur hoc balneo tam quam marita li licentia amor & ego? quàm securè innatabimus his aquis amor & ego? quàm fortunata dabimus vela, dum proscindimus amicos fluctus amor & ego? quàm feliciter restinguemus his fontibus sitim amor & ego.

Vota hæc sunt amantis animæ maximè post Amoris gustata vina, magis etiam si vbera, de quibus illud sponsæ: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*, Quis non arbitretur vbera meliora quæ domestica sunt: cùm vina cellis seruentur promenda. Iam cùm paruulos amet amor noster, quis non intelligat paruulo-

Cant. 1

q[u]orum magis vbera esse, quàm vina? q[u]id? quòd vbera de propinquitate cordis hauriunt quod largiantur? remotiores cellæ sunt, & musto torcularia natantia. Iam vberum adgenitum habemus amori succum, adscititium vini. Et non hinc illud eiusdem sponsæ? *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Vina gustauerat. Prætulit vbera cùm exultaret & lætaretur memor vberum super vinum. Non damnat, quæ amat amoris sui vina, potiora tamen arbitratur vbera. Nam & plus de cõiunctione & connubiali toro vbera spirant, quàm vina. Vt hæc nuptialis mensæ, illa maritalis videantur affectus, aut sponsæ ad sponsam, aut infantis deniq; in matrem.

Et suxerat hæc vbera Maria, siue postquam lachrymis lauarat pedes, siue cùm audiret, *Maria optimam partem elegit.* Vt nemo mirari debeat, *Luc.10.*

fugiti-

fugitiuorum iam vberum memoria contabescere Mariam. Nec ignorabant has inæstuantis amoris lachrymas Angeli, sed magis etiam accendere conabantur has flammas, tamquam oleo ignibus immisso. hinc illa verba, *Mulier quid ploras?* reddidit amor, *quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Non cæcus amor est? ignorat quos videt angelos. Nam si sciret, non preces lachrymis misceret, aut cum Abrahamo, Daniele, & Iohanne prona adoraret in terram? ebria amore, quid videret vinoq; & vberibus fragrantibus vnguentis optimis ebria quid videret vina cogitabat & vbera. Iã cùm vulnerata esset non in vno oculorum amoris sui; sed vtrumque oculum dedisset amori, imò rapuisset vtrumq; amor, auolareque fecisset ab omnia alia creata, quid miramur si non viderit Angelos? audiamus lachrymarum causam. *Quia tulerunt Domi-*

Ioh. 20.

num meum, amorem meum, electum ex millibus. Cuius *pulcriora sunt vbera vino. Et odor vnguentorum* eius *super omnia aromata, caput aurum optimum, oculi columbarum, collum sicut monilia, fauus distillans labia, genæ sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis, manus tornatiles aureæ, crura columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super baſes aureas. Odor vestimentorum eius sicut odor thuris.* Totus pulcher est dilectus meus & macula non est in eo. Non sat ampla lachrymarum causa? addit dolori augendo, *& nescio vbi posuerunt eum.* Misera conditio amati; cùm dilecto sublato in incertum per vicos & plateas rapitur, nec inuenit quem quærit anima eius.

Cant. 4. Cant. 5 Can 4. Cant. 1 Can. 4. Cant. 5 Can. 4. Ioh. 20.

Conuersa deinde *retrorsum vidit* IESVM *stantem, & non sciebat quia* IESVS *est.* Quis credat hãc habuisse oculos? rapuerat dilectus. Nec, nisi qui rapuerat redderet oculos, videre poterat dilectum. Reddidisset, & vidisset.

set. Cæco hic iterum ignoscendum amori. Sed facilis est delicti venia ab amore nati. Quis cæco non ignoscat amori? quis non bis ebriæ à vino & vberibus? gratus error amori, quem ab amore proficisci videt.

Dicit ei IESVS: *Mulier quid ploras?* quousq; audis amantem amor? quid causam quæris lachrymarum causa? non tu illas exciueras, & cataractas recluseras amicorum tibi fontium? cùm tibi illi fluerent, & tibi soli, siue siti tuæ sedandę, siue capiti & cincinnis irrorandis, siue pedibus lauandis? addis, *quem quæris?* quam rationem redderet vino tuo ebria? quam vberibus ebria? si hæret dubia, nec satis connectit sequentia prioribus; musto, vino & vberibus tuis tribue. Illa mentem illi ademerunt. Vt nihil præter vinum & vbera deructet, nihil quærat. Iam si quærat præsentem, ignosce. Da illi vinum manibus tuis temperatũ, da vbera, nec vltrà quæ-

rer;

ret: quamdiu negas illa, tamdiu quæret. Audiamus respondentem, *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Nihil deerat ad omnem ebrietatis significationem præter hæc verba. Suspicata hortulanum esse à quo rogabatur, respondet, *Si tu sustulisti eum.* Aperiret quem quærebat, & responderet hortulanus. verùm amoris hæc sunt. Eadem in alia reperies, *Adiuro vos, si* Can. 5. *inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Respondent rogatæ, *qualis est dilectus tuus, quia sic adiurasti nos?* reddit illa, *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Credas orbe toto candidum vnum esse & rubicundum. Nihil hic nouum. Non alium præter dilectum suum nouit amans. Illi soli oculos habet, ignorat alios. Addunt quas adiurauerat; *quò abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* quibus illa, *Dilectus meus descen-* Can. 6. *dit in hortum suum ad areolam aroma-*

tum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia Quasi orbe toto nemo descenderit in hortum, vt lilia colligat præter amantis huius dilectum.

Frustra prudentiam quærimus in amante. Inspicè, maximè dum mentis illi ebrietas in summo est. Nihil audies, nisi hic suspiria altè ducta, ibi lachrymas per singultus tamquam saxa cadentes, alibi inter mortuas voces, & in ipsis dentibus occisa verba, aut inter ipsa labia in incertum natantia. Sequitur nunc corporis iactatio, ac tamquam ignibus actis; nunc quies & tranquillitas magna, ac quasi delinquentis animi exordia; accedit rubor: & præcordiorum æstus & inlatentes flammas vultus testatur. Succedit his pallor, aut antecurrit etiam, amicus amori color, cui desiderio amantis langueat & fatiscat anima. Nec aliud iam audis præ

anhe
ctum
natar
bus v
tium
es? ô
go dil
ô ver
Lang
amor
malis
vox t
tua d
meus
num
Quan
quanc
do da
trodu
tio; q
tim? f
auidat
ti. Ga
volup

anhelum pectus, ora pallentia, deiectum vultum, oculos lachrymis innatantes, intercurrunt in his omnibus voces, quales solent esse amantium, Vbi es? dilecte ex millibus vbi es? ô quando! longa mora amanti! ego dilecto meo, dilectus meus mihi. ô veni. Osculetur me osculo oris. Langueo. Quousq; ludis amantem amor? fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Amor meus, dulcedo mea, mel meum, vinum meum, oculis mihi carior meis. Quando iungar tibi amor meus? quando miscebimus oscula? quando dabis vbera sitienti? quando introduces in cellam vino plenam? sitio; quousque non leuas miseram sitim? fameo. Quousque non exples auidam famem? dulcis amor amanti. Gaudium meum, delitiæ meæ, voluptas mea, amor meus, casti

cordis caſtus amor, animæ pars altera meæ, & tota iam mea. Te colo, te veneror dilecte mi electe ex millib⁹. Deus cordis mei & omnia, quid quæro extra te? aut quid quæro ſine te? moriar ſeculo, viuam tibi. Phi munde, quouſque me tenes conſtrictum tibi? phi caro, quouſq; viuam irretitus tibi? ite illecebræ & quidquid ſeculum honorum ſpondet capitis mei corona Deus, purpura mea amoris mei gemma, gemmæ mei annulus, annuli mei aurum. Quamdiu me tenent hæc vincula? ô quando illigabor tibi? quando infigam caſti pudoris oſcula? quando potabor vino tuo? inebriabor muſto tuo quando caſtus caſtis d ffundar vberibus? ſat ſeculo & vitæ datum. Animis etiam multum. Diſrumpe hæ carceres, vt purior ſpiritus iungatur tibi. Quouſque immorior exſpectationi tuæ? quamdiu nuda currunt vota? quid fruſtraris amantem cor

ſpect

spectu tuo, tot modis desiderato? lachrymæ vbi estis? gloria mea, decus meum, amantis animæ solamen vnicum. Veni, propera dilecte mi, omnia paraui tibi. Quis me separabit à te? quando adnexus cruci configar tibi? quando pedes pedibus, manibus, configam manus? quando latus lateri? ô manus, ô pedes, ô nimis amicum mihi latus! figamus hic tabernacula amor meus. ô vulnera! caro mihi antè omnia pignora, cælum meum! ô tandem! ô caput, ô spinæ elicituræ rosas! odoratæ ô nimiũ rosæ! carpe anima mea, quid vereris spinas? non eunt sine spinis rosæ. ô mea columna nobili purpura variegata! quis me alligabit tibi? vt scindar ego flagellis pro te, fundam sanguinem pro te amor meus? vt Iudæorum satiem rabiem pro te! ô quando vicarium hoc corp⁹ supponam tuo? & si in viridi ligno hæc fiunt, in mortuo quid fiet? ô horti areolæ aroma-

tum amanti animæ, in quibus pascar, in quibus sudorum lilia, lachrymarum violas, sanguinis colligam rosas. Fortunata ô mihi vinea! quàm benè floruit vinea mea, quàm diues germine, botrus Cypri dilectus meus mihi. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera commorabitur. Manus tuæ stillauerunt myrrham, & pedes tui pleni myrrha probatissima, latus tuum distillauit myrrham primam. Comedite amici & inebriamini ab vbertate lateris dilecti mei.

His similibusvé per suspiriosa interualla prolatis, nullo verborum aut sententiarum nexu amantem amorem sui prouocat. Et exuta sæpe reuerentia & verecundia, in audaces prorumpit verba. Hic audias querulas voces, & momento blandientes hic audaces & præpoperas. Ibi timoris: alibi amoris plenas. Hic mutua promittentes & sponsionibus locu-

plete

pletes: alibi verecundas & trepidantes. Hic languentis animi & quales solent esse amore delinquentis; ibi robore plenas, & tota quod dicunt anima, & sanguine prolatas. neq; vires inter hæc metitur suas amor, nec sexuum discrimina nouit. Omnia & audet & spondet. Exemplum habemus in hac amante. Cùm diceret, *Si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Non vides oblitam sexus viriumq; suarum? audax dictum. Quid si inter prætorianos milites adeoque in prætorio ipso? ego illum tollam. Quid si circumsessum ignibus, & in media Babylonia fornace? ego flammas inuolabo. Quid enim mihi noceant flammæ, quæ maioribus ardeo flammis? ego illum tollam, quid si in profundo maris? quò mihi fluctus? an non meliora iam Israële? secabo maria. Ego illum tollam. Potuit Elias, potuit Elizæus, & non poterit hæc amans *Ioh. 20.*

anima? ego illum tollam, quid si inter tigrides & leones? quò mihi feritas & dentium rabies, aut barbara vngularum laceratio? maior his omnibus amor est. Ego illum tollam. Potuit Dauid, potuit Samson, potuit Banaias, siue in tutelam gregis, siue in hostium vindictam. Et non poterit amor? ego illum tollam: etiam è faucibus rabidæ tigridis & leænæ. Ego tollam. Quid si mediis claudatur exercitibus, hic sæuientis Herodis, ibi minitantium Romanorum? per medias transcurram acies. Ego illum tollam. Ausi olim tres robustissimi exercitus Dauid per medias Philisthinorum acies aquam de cisterna Bethlehem sitienti adferre Regi, & non audeat amor? ego tollam. Quid si in elephante exercitu circumfuso? ego illum tollam. Potuit Eleazar filius Saura per medias irrumpere legiones, & in conciso bestiæ vtero sepeliri; & minora audebit amor?

amor; ego tollam. Quid si gigantum custodiæ commissus? ego illum tollam. Cadere pastorali funda potuit Goliath, Banaiæ virga Ægyptius, Iesbibenob Abisai ferro, alterque Goliath Hetæus Adeodati dextera, & Ionathæ filii Samaa ille senos in manibus pedibusq; digitos habens; & inferiora poterit amor? ego tollam. Tu mulier tolles? sexuum discrimina ignorat virtus. Audet mulier vidua Assyrium demetere caput præualido exercitu circumsessa; audet Iahel vxor Haber Cinæi Sisaræ cerebrum conterebrare clauo; & castus quid non audeat amor? cadit mulieris manu & molæ fragmine post septuaginta fratrum suorum cædem, Abimelech, cadit alterius consilio Seba filius Bochri, & eximitur Abela obsidione Ioab; & quid non poterit amor? etiam in inferno si condideris amati corpus, ego tollam illud. Nam quid inferorum ad

amoris ignes? sæuiant dæmones, & quidquid inferis torquet pœnarum; si amor viscera occupauit, molles illi rosæ tormenta sunt, violæ & sparsa lilia campis.

Nec mirabimur hos animos, si cogitauerimus, non suis se amantem sed amati metiri viribus. Cùm enim in amore nihil reclusum, sed communia amantium sint omnia; quis mirabitur audacia in muliere verba, quæ amoris sui vires dum adnumerat suis, quid non audeat, quid non possit? rideant conatus hosce, quicumque seculum sapiunt. Neque enim de seculi prudentia veniunt hæc vota; inimica illa Deo est. Cælonata sapientia hæc est, ignorata terris. Quæ stulta mundi elegit, coronanda cælo.

Neque diutius frustratus amorata mantem est, nec anxiam hanc suspensamque mentem amore suo sauciam tenuit diutius. Inde illa amici-

vox, *Maria*, qua vna reddita lux oculis cæcitate pulsa. Et illa, *Rabboni*, hoccine amare est fallere amantem? dulces post oscula fraudes, dulciora post fraudes oscula. *Noli me tangere.* Hoccine frui amore est? iterumné fugam, & iterum hortulanus? aut administratorii spiritus? iterumné monumentum, ploratus & densata inter lachrymas suspiria, &, Nescio vbi posuerunt eum? cui Dominus, *Nondum ascendi ad Patrem.* Ibi in plenum amore frueris tuo. Hic mistus lachrymis amor est, & mœroribus tamquam absynthio temperantur dulcia. Nec vniuersum capit amorem mēs corporis huius arctata vinculis. Vbi se diffuderit in plenum cęli diem, optatis frueris amplexibus amoris tui magni. Nunc perfer & obdura. Veniet dies cùm totus coniungar tibi, tota tu mihi.

Eueniant hæc è diuite & amica spōsione tua mihi amor meus. Nolo te-

te in monumento mortuum. Sed nec hortulanum amo, nisi in illa voce tua, *Maria*. Insonet hæc auribus meis, repleatq́ue hanc animam dulcedine amoris tui: vt amarescat mihi quidquid huic seculo dulce inimicum tibi est. Da mihi seculo huic mori & viuere tibi, & tibi soli. Pereat hæc caro, vt anima viuat tibi, moriaturq́ue mihi mundus & ego mundo, vt tu mihi, & ego viuam tibi. moriar honoribus, opibus, carni, vt viuam tibi. Tu mea vita. reliqua omnis mihi vita mors est, & amarior morte mors est. Tu vita mea. Viuam hac vita iam mea. Nam qua vixi, non agnosco meam. Nouercalis hæc vita est, & mors verius quàm vita. Tua vita, vita est, & sola vita. Reliqua omnis de morte, & de morte æterna vita est. Fruar vita tua amor meus, quæ sola mortem nescit, sola dominatur morti. Da vt vita viuam tua, vt viuam semper; non moritur ille qui

vita

vita viuit tua, non viuit ille, qui vita caret tua. Viuam tibi peccato mortuus. Virtuti viuam, vitiis mortuus. Miseranda peccatorum vita, æternæ morti sociata, infelix vitiorum vita. æternis ignibus animata. Fortunata vita tua amor meus, æternæ vitæ maritata. Beata virtutum vita æterna sobole fœcundanda. Reple hac me vita, vt cum Maria tua æternùm viuam tibi, nec alia quàm vita tua, æternùm viuam tibi. Nolo vitam hanc meam. Nimis ô diu vixi mea, viuam tua, & æternùm viuam tua amor meus, vt vna iam sit vita mea & tua, verius tua & mea, & æternùm tua & mea amor meus, æternùm meus.

CAP.

CAPVT IV.

Ad apparitionem factam discipulis euntibus in Emaus.

Luc. 24 DVM *fabularentur* duo è discipulis Domini, *& secum quærerent, ipse* IESVS *appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos, Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Quis ponat amori modum, aut terminos circumdabit amori? interminus est, nec certis claudi limitibus potest amor. Non magis quàm si maria pugillo concludas, aut fluctus illius manu temperes. Non arctatur amor termino. cælum illi sedes est, & terra scabellum pedum. Quòd si plures etiam terrásque cælosque dederis, occupabit amor. Mille da; mille occupabit. Terrasq; cælosque transuolabit omnes. Maria si opponas; ridet maria, &

vo

vno generoso saltu transiliet maria. Valles & propugnacula obiicies? tamquam vento paleam diffl.bit, quidquid hic firmum validumque: etiam montes & rupes deuerret tanquam scopis, aut secundarum analecta mensarum. Castra ostendes & militarem manum? meministi Angeli illius, *qui percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia*, nocte vna? potentior mille modis amor est. Et vno ferè obtutu robustissima sternit: ac fulminis ferè more in validissima ruit. Exempla nos docent: peccatrix erat Magdalena, & è nobilissimis vna; & momento, *lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius.* Publicanus erat alter, & *à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* In telonio sedet vn9, & audit, *sequere me. Et surgẽs secutus est eum.* Publicanorũ princeps

4. Reg. 19.

Luc. 7.

Luc. 18.

Matt. 9.

ad

Luc.19. ad hæc verba, *Descende, quia hodie in domo tua oportet me manere; festinans descendit & excepit illum gaudens.* Et addit: *Venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Iam ille *spirans minarum & cædis in discipulos Domini,* Act. 9. vt audiuit vocem: *Saule Saule quid me persequeris?* cadens *in terram, tremens ac stupens* dicit: *Domine quid me vis facere? & Dominus ad eum: Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Iam Petrus post tertiam negationem iureiurando firmatam, Matt. 26. & galli cantum *egressus foras fleuit amare.* Cùm, Luca teste, respexisset illum Dominus. Luc.22. Et Dauid Rex ad cóminatoriam vocem Prophetæ Nathan, *Peccaui Domino, & ieiunauit ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram.* 2. Reg. 12. Et Ezechias ad verba Esaiæ Prophetæ, *Morieris & non viues,* 4. Reg. 20. *fleuit fletu magno. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum dicens: Reuertere,*

& dic Ezechiæ duci populi mei. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanaui te. Et addam dieb. tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te. Denique ille potens in verbis, *Nisi mittam digitum meum in locum clauorum, & mittã manum meam in latus eius, non credam*; vt primùm audiuit loquentem Dominum prorumpit in hæc verba: *Dominus meus & Deus meus.* Cuius h cimperia sunt nisi amoris? qui & domat audaciam Thomæ, & purpuram in Ezechia docet flere, & diademata in Dauide collidit terræ, & in Petro fletum prouocat amarum, & in Paulo frangit minas, & in publicanorum Principe iniustè partorum imperat restitutionem, & in Matthæo opes docet contemnere, & in publicano pectora tundere, & in Magdalena pedes lachrymis rigare, capillis & osculis tergere. *Ioh. 20.*

Magna

Magna vis amoris. Hæc eadem docet euntes in Emaus cum curarum & mœroris pleni & à fide tantum non naufragi hærerent dubij, maxi-
Luc. 24 meque in his verbis, *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel*, docentur à Domino per Mosen & Prophetas: vt discas miserantis Domini dexteram, pronamque in mœroribus prostratos. Ille cæli terræque conditor Deus ad dubiam discipulorum de fide sermocinationem miscet se medium, audit, docet. Nec finem facit, donec pulso frigore incalescat qui intepuerat amor. Fugataque incredulitatis nube, quę consepultam intexerat fidem, diem animo redderet; nec ante peregrini deponit personam, quam naufragantes has animas felix nauclerus in veritatis deduceret portũ. Vt primum proinde in tutum subducta nauis resederunt venti, & detumescente

fluctu

fluctus malatiam promiserunt *finxit se longius ire.* Non quòd abesse vellet, cuius deliciæ esse cum filiis hominum: sed quòd vehementiùs etiam accendere in iis vellet amoris flammas denso antè incredulitatis pulvere consepultas, optaretq; in apertum prorumpere hunc ignem, nec diutiùs cinere suo contineri. Ad quę non abiicit se amor? non abiiceret, nisi amor esset. Immiscet se socium mœrentibus; induit personam peregrini; perfert dubiam fidem, & fluctibus etiam sorberi proximam; fingit itinera maiora, & patitur se abduci ad idem hospitium, eandem mensam. Hæc amor. Ille nimirum qui illum eduxerat cælo, è sinu summi Parentis in Virginis sinum, qui virgine fouerat reddideratq; vtero, lactauerat vberibus, virgineque pauerat lacte, induerat carne, & hortulani forma, nunc etiam peregrini

vestiit;

vestiit ; nec dedignatur hospitium, qui non dedignatus fuerat vterum, non sputa, clauos, lanceam, & quidquid improbitas comminisci potuit in dedecorationem. Suauia hæc amanti sunt dummodo potiatur amato. Dulce nimirum illi per flagra & vulnera, vincula & carceres fruiamato, tanto ardentius amaturus, quanto per duriora potitus amato fuerit. Quid? Serpens, sitis, ardor, arenę, dulcia fuerunt posteritatis gloriam consideranti; vitulantem videre dexteram & foculo suo iam oleũ, dulce; cùm plùs amor patriæ arderet intus, quàm ignibus quæ fefellerat dextera ; & dulce dolium terebratum clauis: patrius nimirum retuderat aciem amor, tamquam malleo, vt instratos crederet pluma; & cælesti amori nostro non dulcescent amara, & suauia erunt felle natantia? ignes & forcipes, rotæ & transactus per medium hominem stipes suaue-

ludii

dii illi sunt, rosæ & violæ, & instratæ plumæ; areola aromatibus consita. Tot hoc millia docuerunt è craticula & fornacibus, non viri robore & ætate pleni, & durioribus assueti, dandisq; & accipiendis vulneribus nati; sed virgines puriq́ue, necdum alteram ætatem ingressi. Quo magis veneremur amorem tantorum operatorem.

Veneror te amor meus, eoq; magis quò in discipulis tuis doceor etiam compelli te velle, cùm abeuntem manere cogerent. Grata amori coactio, semper cogi vellet, vt semper adhæreret amato. Nec vinci se dolet, & vltrò etiam fatetur. Hinc illa verba amore rapti, *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! & macula non est in te.* Cant. 4. Quid? quòd & vulnera fateatur; *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum*, adeoq́ue *in vno crine colli tui.* Et manus etiam in vindictam & sangui-

sanguinem abituras dimitti rogat,
Exo.32 *Dimitte me vt irrascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam.* Potens amor. Concede mihi amorem hunc qui potes Deus. Et permitte vt cum discipulis tuis
Cant.3 compellam te intrare, *donec introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*: in medium nimirum tabernaculi cordis mei. Hoc enim mater mihi genitrixque cogitationum tibi placentium. Beatum, si perennis mater, æternoque grauidum fœtu semper pariat æterna fœcunditate felix; nec dimittam te, donec benedixerit mihi anima tua in fractione panis, panis cælestis amoris tui, quo vno viuat hæc amans anima æternùm pane tuo pasta omnemque iam contemnat cibum extra te & te vnum.

CAP.

CAPVT V.

Ad apparitionem Apostolis factam.

CVM *sero esset vna Sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit* IESVS *& stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas & pedes. quia ego ipse sum. Palpate & videte.* Nulla quies amori est. Quærit vbi exeratiaculasua, & oportuna vulneribus captat loca. Felix anima amoris telo confossa, vulneribus saucia, lachrymis, sudoribus, sanguine lota! & ferè à mœroribus hæc vulnera veniunt. Captat enim amor commodum vulneri tempus. Nec aliud magis opportunum, quàm cùm

Ioh. 20. Luc. 24

cùm tantùm non oppressa & insepulta mœroribus iacet anima, consilii gnara; sed mœroribus non mũdi, non opum, honorum, voluptatum. Inimicum hoc tempus amori est, æmulationibus, inuidentiæ & odiis natum, & ad interitum ducens, vltimamque rerum desperationem. Procul hæc ab amoris domo. Alios ille spondet honores, voluptates, opes cælo reponendas; *thesaurum non deficientem in cælis. Quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Nam de diuitibus huius seculi habemus illud Domini: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Etilud Apostoli: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appe-*

Luc. 12

Luc. 6. Matt. 19.

1. Tim. 6.

tentes,

tentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo Dei, hæc fuge. De opibus verò & honoribus illud Iacobi: *Glorietur frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. Exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita & diues in itineribus suis marcescet.* Et illud Isaiæ: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo.* Et in eandem sententiam Petrus: *Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius decidit.* Hinc monet apud Ieremiam Dominus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse se, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra.*

Iac. 1.

Isa. 40.

1. Pet. 1.

Ier. 9.

Aliam gloriam æternùm perennaturam habemus in Apocalypsi: *Qui vicerit vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Et apud Danielem: *Fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* De voluptate monet Ecclesiasticus: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos, & qui se iunxit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero animæ eius.* Et Paulus: *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Apoc. 3

Danel. 12,

Eccli. 19

Rom. 8.

sunt. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* De continentia verò eleganter Sapiens: *Quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis enim est memoria illius: quoniam & apud Deum nota est & apud homines. Cùm præsens est imitantur illam: & desiderant eam cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Et incorruptio facit esse proximum Deo.* Sap. 4. Sap. 6.

Quare non amat amor diuitiatum, dignatum seculi aut voluptatum mœrores concupiscentia natos; opumipse, honorum ac voluptatum contemptor vindexq; acerrimus. Amat verò mœrores casto amore genitos, cùm mens amore lãguens, grauique illius vulnere saucia quæritamorem suum, qui solus vulneri mederi potest; tacitaque per mica silentia, densata inter suspi-

ria lachrymis, suauè fluentibus, votiuis amorem suum precibus, non tam ore quàm corde prolatis, prouocat cùm de illius absentia mœsta nullum admittit consolatorem, solius illius dextera leuanda; cùm exaresci sitit, nec pocula tamen vlla nisi de illius torcularib. haurit; cùm marcescit fame, nec cibum alium quàm illius manibus temperatum admittit; cùm enecta propè frigoribus, solius amati excalescit ignibus; cùm seculi flammis accensa & mœrens, solius amoris sui fontibus reparatur; cùm decumanis agitata fluctibus cœlo terraque minitantibus tabulam uigans, solius amoris sui nauibus optatum portum sperat. Languescit interim, votiuique mœroribus sic pulsat amoris sui fores, si fortè audiat, & querulas admittat voces, leturque dilectam suam ingenti vinere lassam.

Et sanè quid respondeat amor

manti, cùm medicam illius implorat manum, telo illius saucius? antè vulnus altè per præcordia haustum non mirum fors fuerit non occurrere, licet vocatum; vulnere accepto, durum. Quamquam & vltrò occurrat, & fores pulset. Cùm non semel ipse questus inclamet; *Ecce sto ad ostiũ & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum.* Et apud Matthæum: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? & noluisti.* Apud Isaiam verò: *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* quid? quòd claustrorum impatiens, impatiens moræ, ianuis ingrediatur clausis? factum in Apostolis, quos Iudæorum metus incluserat domi. In quorum medio amicum illud inclamat: *Pax vobis.* Cùm antè dixisset: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis....*

Apoc. 3

Matth. 23.

Isa. 5.

Ioh. 14.

Isa. 57. *Impii autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Pax hæc mundi est tot sponsionibus locupletata, momento hic finienda, & infelici ô nimiùm æternitate claudenda; miserandaque in Epulonis vicissitudine denunciata, & in illo

Ioh. 16. Domini apud Iohannem: *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Miserandi mundi pax infortunato orbe toto primorum interitu funestata, quàm diues sponsionibus; rebus inanis rides. Sed super interitu tuorum blandiris & mordes, & intero[scu]lo ferrum stringis; mella porrigis fel temperata, electibilibus quibusque venena miscens. Mentiris matrem animus nouercam loquitur; & su[i] amico vultu, inimica mens latet; su[i]

oliua

olluæ ramo, rotæ & secures. Sed & vina tua toxico madent; & qui auro, aconito se proluunt tuo. Et cui non magnorum mentita tranquillitatem, laqueum parast? cui non regno proculcario adnata? cui nõ diademati miles & carnifex? cuius non purpuræ vulnera & sanguis? ludis in humanis. Solisque sponsionibus fœcunda, steriles largiris arenas, & emarcidos campos, Gelboë montes. Quòd siqua quies insederit animo, tantis illam circumstrepis terroribus, vt caruisse dulcius quàm possedisse sit. Etiam inter mensas, vina, pocula, & coniugalem torum exsurgunt metus. Et quoties solicitudo à fratre, filiis, coniuge nata? quàm sæpe vnius vteri ferro natarunt campi? & non maduerunt filiorum dexteræ; non in coniuge fœminea manus? to exemplis regnorum omniũ docti sequimur mentientẽ. Iterumque fraudes & doli; & iterum fides.

iterum vulnera & ſanguis; & credimus. Iterum pocula & menſæ, iterumque venena; & credimus. Iterum tiaræ & dignitates, & mors præ foribus; & fidem reperiunt. Nimirum ſteterunt aliqui. Inter tot millia pauci. Inter tot menſæ vnius patinas, vna veneno intacta. inter tot ceſorum millia, vnus aut alter fuga quàm virtute felicior ſine vulnere ſtetit. Inter tot cadentium myriades vnus fors octogeſimum annum attigit. Nec multitudinis memores ludimur in vno. Fatui! Quouſque tam ſtolidis præbemus aures? ad veram paçem a- more natam flectamus animus. Vnum ſi à tot millibus hæc decepit, cauſam nullam dico. Si nullum ſpe ſua fruſtrata eſt, ſi maiora ſponſionibus dedit, ſi nullæ tot ſeculis intercurrerunt fraudes, nulli luſerunt doli, venena nulla, ſanguis nullus, proculcatio & præcipitia nulla, quid hęres anime? tot exemplorum millia fidem

fidem testantur. Quid dubitas? habes ab hostili agmine testes, & mentitæ pacis suæ dolo circumuentos. *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & iniustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia tamquam vmbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantùm so-* Sap. 5.

nitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatũ diuisus aer continuò in se recluſus est, vt ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno, hi qui peccauerunt. Quoniam spes impii tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur; & tamquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur; & tamquam fumus, qui à vento diffusus est; & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideò accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. Quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Errorem suum fatentur, luce & sa-

pientia

pientia destitutos vias difficiles ambulasse. Opes, honores, seculique reliqua tanto studio comparata; vmbræ, nuncio, naui, aui & sagittæ fluctus & aërem secanti componunt; spemque illam pacis magnæ Sapiens lanugini vento iactatæ, spumæ procella dispersæ, fumo vento diffuso, hospiti diei vnius comparat. Iustis autem mercedem æternam, regnaq; & diademata de manu Domini promittit.

Hæc est illa pax quam hodierno die Apostolis apprecatur Dominus, tanto fœnore locupletandam, cælesti regno & diademate donandam, felici æternitate pariandam. Quis non amet hanc pacem, hic solicitudine vacuam, ibi perenni mercede diuitē? hic in alta quiete vel ad Domini pedes cum Magdalena sedentem, vel in agone cum Stephano stantem, vel in tertium cælum cum

Paulo raptam, vel in amoris sui sinu cum Iohanne cubantem, vel cum Petro, recens genitorum infantium more, vberibus inhærentem, vel cum sponsa ad oscula prouocantem

Can 1. *Osculetur me osculo oris sui*? Quis me donabit hac pace, nisi largitor pacis amor, qui pulsis cum Apostolis mœroribus pacem hanc altiùs inferat animo, quàm vt illàm vlla vis ventorum, vlla fluctuum rabies, vlla potestas tenebrarum, non dicam euertere, sed turbare possit, aut loco mouere.

Et tamen pace etiam hac tanta denunciata trepidatio adhæret Apostolis, nec excussus timor qui obsederat mentes. Mixtus hic amor dubitationibus stetit, cùm & fraudem vererentur, & præsentiam desiderarent. turbabantur ad inexspectatam rei nouitatem; nec euenisse putant, quod sperare vix auderent. Inter spē proinde metumque penduli, dum

vouent

vouent & timent, amant & verentur, iactantur in incertum cogitationibus, nec fidere satis, nec diffidere ausi. Vidit qui amabat, & vt dissiparet hanc nubem, poneret fluctus, carnem & ossa palpanda ostendit: *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis, & cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Luc. 24. Gaudii magnitudo fidem aut ademerat, aut negabat, aut sanè infirmauerat. Ita quæ auidè optamus magna, ipsa magnitudine sua fidem minuunt, & suspensos admiratione, amore reique amplitudine animos tenent. Ingeniosus omnis amor in mille se vertit formas, vt amatum in amorem sui trahat. Ingreditur dum metus mœrorque in summo est, opportuno in discrimine solatio, ingreditur ianuis clausis, vt miraculo fidem adiuuet; appre-

catur

catur pacem, vt beneuolentia alliciat; palpandam præbet carnem, videnda vulnera, vt tactum oculosque incredulitati admoueat doctores; comedit, vt familiaritate animos illorum firmet, metuq; ac veneratione pulsa, audentiores reddat.

Adiuua labantem amorem meum amor adiuua tepentem, adiuua frigoribus concretum; vt accensus flammis tuis exsurgat in ignes, qui nec frigora, nec ferrum metuant, crescatque copioso vbereq; fontium tuorum lapsu, in maria nullis aggeribus claudenda; exciteturque quatriduanus hic iam Lazarus & fœtens in vitam nouam, dignam amoq; meo. Saxa rupesque hic reperies prævalidas, chalybeque & adamante firmiores montes. Fulmina tua quæ non robora sternent? detorque illa ab alto potenti tua dextera; & saxa iam nulla, & cera omnia. Excute tela ab amoris tui pharetra deprom-

pta;

pta, dextera iaculata; & chalybs iam nullus. Emitte solares tuos radios nulla nube recludendos; & glacies iam nulla, nox nulla. Soluitur omne gelu, detenebrantur omnes noctes ad primi luminis tui splendorem. Displue cataractas cæli, disrumpe fontes abyssi tuæ amoris tui magni, & nulla iam ariditas, sitis nulla, quæ arentem hanc & exsuccidam torquet animam. Sed & præbe mihi vulnera tua vbera iam facta, memor Apostoli tui: *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.* 1. Pet. 2. Vt lacteo rore tuo plenus, decantem illud sponsæ tuæ, *Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum,* Cant. 1. purpureo lacte fluentium.

CAP.

CAPVT VI.

Ad apparitionem Thomæ factam.

Ioh. 20. NISI *videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitũ meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.... Venit* IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus sed fidelis. Respondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dixit ei* IESVS, *Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Quid ego hic primùm, aut quid postremùm dicam? laudabo dubiam Thomæ fidem? non possum amabo fortia hæc & quasi militaris cuiusdam roboris plena verba, vt arbitreris cataphracta? non audeo. Diffidentiæ an amoris sint, nescio. Exspectatio-

nean

ne an infidelitate plena, neſcio. Vt iam neſciam amorné expreſſerit hęc verba, an dubia mens, nec ſatis alienis oculis, manibusque fidēs. Ita quæ ardenter optamus magna, vix fidem narrata reperiunt; niſi coram ipſi viderimus. Ac vix oculis fides ſua ſtare ſolet; maximè ſi præter ſpem euenerint, ſi inexſpectata. Tantam validè deſideratarum rerum admiratione amor excitat, vix vt manibus ipſis credamus. Tenemus: & non rarò dubia etiamnum mens hæret. Hinc illa non in vno verba, Verene poſſideo? & poſt longi temporis moram, aut denunciatam etiam mortem, ſiccatasque lachrymas quàm familiare illud parentibus, Tene teneo fili mi, lumen oculorum meorum? fallor? tene an alium teneo? tune ille, animæ dimidium meæ? an ludit imago tui? Iam quoties oculi ludunt in filii vultu? quoties mixta timori ſpes ſurgit, & anhelum pulſat pectus?

&us? quoties inter amplexus & oscula, & natantia lachrymis ora, hæret etiam animus, tamquam interspersо dulcibus acore? nec sine metu repetuntur basia. Miscentur suauibus amara. Et in magno gaudio modica intercurrit trepidatio, tamquam coniugatione quadam mellis & fellis. Nimirum miscentur amara suauibus, & in summa lætitia, & quã tenemus manibus, aliquid interlabitur, si non dubię rei, at nescio quid trepidationis, possessarumq; rerum admiratio. Accidisse ne hæc credam Thomæ? vellem. Nam & amo Thomam meum. Nisi incredulitatis viderem argui à Domino, *Noli esse incredulus sed fidelis.* Et tamen non possum non amare Thomam meum. Quis non amet fidei sui ducem? & non maior mihi dux ad fidem Thomas quàm reliquorum prompta in credendo facilitas? Quid? quòd maior mihi etiam dux ad amorem? nam

quŏ

quò ducant hæc verba, *nisi mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius*, nisi ad amorem? sed non hic barbarus quidam amor est, digito terebrare manus, manibus latus? non satis erat vidisse, lachrymis rigasse pedes, osculà manibus impressisse, toto denique complexum córpore, nisi iterum claui, iterum lancea? quis expleat amorem? esuri? nullo cibo saturatur. Non si Assueri propones mensas, aut superbas Regum dapes, solo hęc amore suo saturanda fames est. Sitit? non iam dicam fontes & flumina, sed propina maria, plus etiam sitiet, si toto se proluat Oceano. Solo enim restinguenda hæc sitis amore est. Opes amat & honores? nullo satiatur auro aut purpura, non orbe toto. Transuolat cælos cælorum, nec opib. nec imperio explendus: nisi ibi fruatur amore suo. Delitias & voluptates cogitat? fastidiosus

amor

amor est, ne vultù quidem perituras dignatur, & indignas illas arbitratur genere suo. Æternas cogitat, nec illas non nisi amoris sui æternas, castas, puras, à carne segregatas.

Amor ergo in Thoma trepidanti fidei animos suggessit, nec contentus oculos, manus admouere voluit. Arbitreris has vulnera & sanguinem sitire. Sed amoris vulnera, qualia sibi optabit quisquis amat. Pariari enim vt amore, sic sudoribus, vulneribus, sanguine exoptat. Nec quies animo, donec optatis fruatur amor. Quod si negatum; antè vitam ponet, quàm destinata deserat. Mori enim illi certum, aut potiri. Lætusque per flagra & ignes, equuleos & craticulas, per picatam tunicam & forcipes, per ardentes laminas, fornaces, laqueos, bestias, lapides, serras, secures inuolat in amatum. Et quid sentiat corpus in ignibus, in rota & cruce, cùm animus in cælo est? cadauer cogita.

Vre

Vre & seca. & per mille torméta, bouemq; hominem suum mentiétem mitte. Quid exspectabis? vocem dolorib. expressam, tormétis excussam? idem in amante est. corpus cómittet ignibus, animam transfudit in amatum. Quid sentiet corpus anima sua viduum? viduauit amor. Exempla tot orbe toto Martyrum nos docét. Calcant prunas rosas, perpluuntur lapidibus violis, tunduntur fustibus liliis, liquata perfunduntur pice vino, constringuntur frigore rore, potantur felle musto, sæuiunt flammæ vnguenta. Fecit amor. Qui prunas, lapides, fustes, picem, frigora, fella, flammas mutauit in rosas, violas, lilia, vinum, rorem, mustum, vnguenta. Ingens amoris vis, tam dissona, tam mutuo momento commutare pugnantia. Quid non potest amor? etiam tenellę virgines puerique post delassatas carnificum manus, rident tyrannos, vt epulari credas, non ardere,

dere, non secari; vt delitiis, non ignibus circumfluere; vt bastiari, non à belluis morderi, non lacerari; vt instratos pluma, non fornacibus iacere candentibus; vt vino non sulphure perfundi; vt floribus & balsamo, non liquato aspergi plumbo; vt gemma non spinis coronari; vt vnguento, non viua delibutos calce arbitreris.

Omnia potest amor. Etiam inferorum flammas verteret in gaudia, æternisque designatum locum supplicii in cælum. Vis magna amoris. Quid inaccessum amori est, qui etiam Deum vertit in hominem? verius, Deum vestiuit homine suo, carne & sanguine Deum? ardebat hoc amore Thomas meus, sed asperso cinere. & dubia fauilla, quam & deuerreret & discuteret amor. Discussit vt vidit amorem. Nec magno hic opus molimine. Vidit, credidit, amauit. Nec iam vltrà paleæ: & pulsa nebula

quæ

quę eripuerat hunc solem. Sanè subduxerat oculis, solaribus repercussis radiis amoris magni. Non quòd amor non esset, aut exularet mentis ille Sol magnus. Nube tamen subterlabente contenebrauerat lucem aquilone iactatus vētus. Vt primùm discussa nube redditus amor sibi est, magis etiam illuxit, hoc est, ardentiùs amauit. Atque hinc illæ voces, *Dominus meus & Deus meus.* Quid dicis anime? non ingentis pectoris & amore ebrii hęc verba sunt? non hoc est digitum pedibus, aut lateri manum, est totum immittere hominem, totam animam iacularii in hæc vulnera. Ibi domicilium & tabernacula figere, ibi tentoria & valles firmare, ibi arces & propugnacula erigere.

Fortunate ô nimiùm Thoma, *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te*, non iam foris, *& deosculer te, & iam nemo* Cant. 8.

me

me despiciat, tamquam amore viduũ, sed in domo matris tuę & meæ? *ibi me docebis* quàm suauis est amor tuus. Ibi iam non dabis pocula *ex vino condito, & mustum malorum granatorum* tuorum, sed amoris tui & mei propinabis dolia, vineas totas, autumnos totos. Quàm hilariter ibi conuiuabimur tu & ego? quàm dulcia miscebimus pocula tu & ego? non inebriabimur ab vbertate vberum horum, vineæ huius, musti huius optimi? ô vina! ô vbera amoris mei magni! quã dulcia miscebimus colloquia musto pleni, tu mihi, ego tibi, vterq; amori nostro, beate Apostole!

Felix dubitatio, quæ te introduxit in hanc aromatum cellam. Ingar tantùm tibi, vt odorato hoc perpluar imbre. Nam quid reliqua aromata orbis terrarum prima, si componantur cum his amoris mei? veni Auster, & perfla odoratas has cellas, vt fluant aromata illius, vt perfun-

damur

damur tu & ego magne Thoma. Felicia languenti animæ aromata, quibus fortunatior reuocetur vita, & vita viuat mens noua, beata tam fœcundis odoribus pasta, tam medico spiramine fota. Quanti hic virtutum omnium odorati ludent vapores? optata mistio tam potentibus amoris temperata manibus, in medio hortorum dilecti mei! pascamur hic inter castitatis lilia, inter humilitatis violas, patientiæ rosas, mortificationis myrrham; in hoc paradiso punicorum & granatorũ malorum munificentiæ amoris tui; in hac vinea virgines generante, in hoc nemore prudentiæ manibus consito, in quo illud occinam lætus, *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2 Quis dulcior amoris fructibus? beata anima, quæ his solis famem explet. Exple hãc meam dilecte mi desideratissimis amorum tuorum fructibus. vilescat quidquid

alibi natum, tu solus animæ meæ cibus tot votis optatus, tot suspiriis exspectatus, tot lacrymis speratus: maximè inter hos amoris fontes, inter torrentes fontibus, flumina torrentibus, fluminibus maria nata.

Quid hic deesse potest ad omnem sitim leuandam? bibamus & inebriemur magne Apostole ab vbertate fontium horum. Repleamur à torrentibus & fluminibus purpureis roris huius, innatemus huic mari rubro, amico sanguine purpurato, amico nato. Bibamus & lætemur in omnibus bonis amoris nostri. Lauemur & mundemur in hoc purpureo amoris nostri balneo. Non verba illius sunt? *Deleui vt nubem iniquitates* Isa. 44.
tuas, & quasi nebulam peccata tua. Et, *Si* Isa. 1.
fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi Isa. 43.
vermiculus, velut lana alba erunt. Et illud: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum*

tuorum

tuorum non recordabor. Dele. & non recorderis in æternũ amor meus: nam & miserationum tuarum non est numerus, nec obliuisci poteris infantis vteri tui, quem peperisti tibi in die partus tui magni duriſſimis obstetricantium clauorum & lanceæ manibus, memor verborum tuorum, *Nũquid obliuisci potest mulier infantem suũ, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Isa. 49. Non obliuiſceris amor meus. Maximè si cum Apostolo tuo in die vulnerum, die gloriæ & fontium semper viuentium, die vberum tuorum purpureo rore natantiũ, die vindemiæ, die mustei torcularis tui, saturatus fuero, non iam micis quæ cadunt de mensa Domini mei, sed ferculis quæ amicis tuis præparasti in die desponsationis tuæ magnæ, die lucis & non tenebrarum; cùm radios suos etiam supra cælos iaculabuntur nobiliſſimi quiq; soles tui æ-

felix

terna die memorandi: vt alluſiſſe videatur Propheta; *Non erit ibi amplius*
Iſa. 60. *Sol ad lucendum per diem; nec ſplendor lunæ illuminabit te. Sed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* De elementario Sole illi verba. Addit: *Non occidet vltrà Sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternã.* Nuſquam certiùs quàm in vulneribus, Apoſtoli digitis & manu ſignatis. In quibus, detenebratis errorum noctibus, tamquam in meridie accubabit dilecto ſuo anima ſponſionibus illius diues, cùm inaudierit, *Spõſabo te mihi in ſempiternum .... in miſericordia & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dominus.*
Oſe. 2. Vt die hac deſponſauit ſibi Apoſtolum in miſerationibus magnis, in prærogatiuis amoris, in fide poſteritatis: vt iam inclamet tamquam in die nuptiarum, *Dominus meus & Deus meus.*
Ioh. 20.

Felix

Felix anima quam desponsatione sua dignatus fuerit amor, & in quam illud Isaiæ cum Apostolo hoc cadet, *Ponam desertum eius quasi delitias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Non cor desertum Thomæ nostri posuit in hac die in delitias; & solitudinem illius exultantis à fide, quasi in hortum Domini? iam gaudium & lætitiam quis animæ illius explicabit, qua perfudit illam Dominus in die ostẽsionis suæ, cùm prorumperet delitiis affluens ab vbere consolationis. *Dominus meus & Deus meus.* deplue in hanc animam meam stillicidium aliquod pluuię illius magnæ, qua irrigasti Apostolum tuum in die exultationis huius. Vt aliquando tandem insonet auribus meis illud tuum amoris plenũ, *Quomodo si cui mater blãdiatur, ita ego consolabor vos. Videbitis & gaudebit cor vestrũ, & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Isa 2. Ioh. 20. Isa. 66.

Felix anima quæ ab vbere pendet dilecti sui, & in genibus illius ludit; miscetque amica basia ab vtero & vbere recentia. videam diem illum, vt gaudio plenus prorumpam in has Apostolicas lætitiæ voces, *Dominus meus & Deus meus.* Sint illæ mihi voces æternæ, canticum amori meo, animæ meæ sponso, in perenni desponsationis die, *Dominus meus & Deus meus*, & omnia. Nec vlla hæc inimica turbet manus, nulla serenum nubiler, nulla minuat diem, nulla vberibus ablactet nouercalis dextera, nulla venenet, nulla detranquillet pacem, nulla defrustet gaudia, aut aliorsum mentem trahat. Sed quam semel possedit, possideat æternùm amor meus, vt audiam, *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.* Et reddam; *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia*, casti pectoris lilia. Et, *ego dilecto meo*

Cant. 2

Can 7.

Can. 2.

meo, & dilectus meus mihi. Ac Apostolico demum claudam verbo, gaudiorum, admirationum, amorum grauido, *Dominus meus & Deus meus.* Ioh. 20. Addo, amor meus, & omnia.

CAPVT VII.

Ad apparitionem Petro & Iohanni aliisq; piscantibus factam.

EXIERVNT *& ascenderunt in na-* Ioh. 21.
uim: & illa autem facto stetit IESVS *in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia* IESVS *est. Dixit ergo eis* IESVS: *Pueri numquid pulmentarium habetis? responderunt ei: Non. dicit eis: Mittite in dexteram nauigii rete; & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebunt illud trahere præ multitudine piscium. Dixit ergo discipulus ille quem diligebat* IESVS, *Petro, Dominus est. Simon Petrus vt audisset*

quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Laborant Apostoli nocte tota. Laboris fructum nullum referunt præter laborem, vt non mireris alium non retulisse. Nox erat, & radios subduxerat suos Sol magnus. Quid refugo sperarent Sole? & vltima illorum de Sole cogitatio. Ita fiducia pleni, & industriæ suę fidentes vberem piscationem sperabant. Fefellit eos spes sua. Et mortuum mare crederes, ita infœcundo iactu noctem toram peregerant. Et frustra iam sudores, & nequidquam labor. Non tulit amor diutiùs hos labores. Et nescio an no magis ipse lassatus amore suo, quàm piscatione Apostoli, cùm durum foret amori tot horis conantem prorumpere amorem & in amati sinum inuolare, silentio continere. Videbat laborantes quos amabat, videbat sudoribus diffluere, & defatigata iam succidere labantia genua, scie-

bat

bat se amari. Et erat inter eos *discipulus ille quem diligebat* IESVS: erat Petrus post amarum fletum, calentesque à negatione lachrymas, ingenti amoris telo saucius, & hiabat adhuc immanè à telo recens vulnus: erat Thomas dexteræ prærogatiua nobilis, & ardoribus inæstuans: erant alii quibus videndam palpandamque præbuerat carnem validis amoris ignibus eliquatam, vulnerib. etiam tum tamquam fornacibus flammas deuomentem, vt non deessent qui amarent. Et interim sudabant, donec pulsa nocte dies lucesceret. Nec moram diutiùs tulit amor, immittit beneuolentiæ suæ radios. *Pueri numquid pulmentarium habetis?* vt facilè videas quanto amore natet cor illud quod ad minimarum rerum solicitudinem tantum curarum, quantum amoris defert: quò magis accendaris amore illius, apud quem capilli omnes capitis recensiti habentur.

Quid metuis arma? potentiori defensaris dextera. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.* Quid hostes? verum est illud Elizæi: *Plures nobiscum sunt quàm cum illis.* Quid fluctus & irata maria? bibet minas suas. Et aspice virgam Mosis mari Rubro imperantem, vt funditus profectum & pari vtrimque stupore discriminis fixum, sicco populum pede intestino itinere transmitteret, rursusque sub eiusdem virgæ nutu, redeunte natura, Ægyptium exercitum undarum concordia obrueret. Quid astus & dolos? nemo fallet scrutatorem renum, *qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat.* Quid purpura & diademata? flere docuit illa, & pro coccino & Tyrio in asperitud ne sacci, & horrore cineris Deo supplicare in lotos & sordulentos, ieiunio maceratos. Quid opes? humani generis decipulas,

Ps. 90. 4. Reg. 6. Iob. 5.

pulas, numquam satiandas, timorum plenas, dubias, bellorum faculas, odiorum flammas, omnium orbe toto malorum causas, millibus negatas, vni concessas, & ferè ignauo, rerum imperito, fatuo. Et non dives in ignis tormento constitutus, Lazarus in refrigerio æternas opum & paupertatis vices æmula retributione compensant? vt & superbiæ diuitiarum & gloriæ delitiarum seuerum habeas exemplum? dilatauit nimirum orcus animam suam & aperuit os suum, & descendent inclyti & magni & diuites. Quid delitias? non væ vobis *qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.* Qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti? Quid mundi gaudia? dolori proxima, curarum plena, mœroribus pensanda æternis. Et de iustis verum illud

Amos 6.

Ier. 31. Domini, *Conuertam luctum eorum in gaudium & consolabor eos & lætificabo à*
Ioh. 6. *dolore suo*, & *Gaudium vestrum nemo tol-*
Apoc. 7 *let à vobis*. Et illud: *Absterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis eorum*. ab iis nimirum oculis, qui retrò fluxerant, quiq; adhuc flere potuissent, si nõ omnem lachrymæ imbrem indulgentia diuina siccaret. Cæterùm qualia sint illa gaudia, quæ nec in cor hominis ascẽderunt? credo mensis & tibiis, organis & tubis, & omni seculo gratiora. Quid voluptates? plus fellis quàm mellis habent, hominem te cogita cælo natum, & vinces. Succumbis?
Eccl. 18 *faciet te in gaudium inimicis tuis*. Doma hanc belluam & doce parere. Prote-
1. Cor. 2 re. Et non, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, præparauit Deus iis qui diligunt illum*? & quæ maior voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis, quàm seculi contemptus, quàm vera libertas, quàm conscientia integra, quàm vita sufficien-

ciens, quàm mortis timor nullus? Quid mensas & pocula? non redolent hæc hominem. Paucis natura pacatur, contenta satiari. Nec est *regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Quid honores? quorum incerta consequutio, dubia possessio & præcipitio proxima, odiorum materies? & non qui secuti sunt Dominum, *cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebũt super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: & iudicabunt nationes & dominabuntur populis?* Quid fortitudo? vincunt leones & tot belluæ. Iám tot exempla Domini protegentis suos in manu forti & brachio extento quid loquũtur? & audi quid spondeat: *Dabo te in murum æreum, fortem: & bellabunt aduersum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, vt saluem te, & eruã te, dicit Dominus, & liberabo te de manu pessimorum, & redimam te de manu fortium. Minimus erit in mille, & paruulus*

Rõ. 12.

Matt. 19.

Sap. 3.

Ier. 15.

Isa. 60.

lus in gentem fortißimam. Quid seculi prudentia? mixta plurimũ ingenti dementia est. Iam illud consolatione plenũ: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus,* 1.Cor.1 *vt confundat sapientes: & infirma mundi* 1.Cor.3 *elegit Deus, vt cõfundat fortia?* adeoq; *sapientia huius mundi, stultitia est apud Deũ:* quid nobilitas? à seruis & Regib. omnes. virt° & illa sola nobilem facit. reliqua extra nos sunt, nostra nõ sunt. Quid laudas in homine aliena, in equo frenos aureos, in leone bracteatas iubas? 1.Cor.1 *Ignobilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Piscatores Petrus, Ioannes, Iacobus erant. & non fabri filius, & Bethlehemitico antro natus Dominus ipse?

Quæ cùm ita se habeãt, nec componi quidem, nisi per scelus, seculi hæc magna cum cælorum minimis possunt; sed neq;, si rem ponderibus metiamur, dignum aliquid admiratione

tione aut prosequutione continẽr, quid hæremus dubii?

Et sanè nihil posse illis deesse qui totam curam sui Domino committunt, docent nos Apostoli, qui noctem totam cùm laborassent, orientem iam die ne rogata quidem auxilia senserunt. Ita vltronea munificentia beat suos Deus, nec diutiùs ope sua destituit. Imperat vt mittant in dextrum retia. Obsequuntur, & iam *non valebant illud retrahere præ multitudine piscium.* Ingens discrimen vltroneì, & à Domino imperati laboris. noctem totam ductu suo laborant, & frustra labor omnis: Domini imperio mittunt retia, & vincuntur à piscibus retia. Hoc illud est: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me* Hoc illud: *Plorabitis, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Vicibus disposita res est. Nunc seculum lætatur: amantes Domini conflictantur. Lugeamus seculo gaudente, vt

Ioh. 21.

Ioh. 16.

cùm

cùm lugere cœperit, gaudeamus; ne nunc gaudentes, cum illis lugeamus. Noctibus gaudia illorum peraguntur, diebus noſtra; in tenebris illorum, in luce noſtra. Pereunt illa quæ noctium ſunt; manent quæ dierum; & quæ tenebras amant, fugiunt lucem, & ad diem erubeſcunt. Ad lucem gaudia peraguntur noſtra. Atq; hinc iam diſcrimen illud inter tenebrarum & lucis filios. Seculi huius tenebrarum ſunt, inter quos noctibus omnia tranſiguntur, diem fugiunt; nulla etiam poſtmodum coronandi die. Et noctibus gaudia illorum aguntur, quia ſeculo hoc, nocte nimirum continentur. Fallũtur qui diem putãt, nox eſt. Si dies eſſet, non laborarent tanta caligine rerum, & nullo negotio perennatura à perituris diſcernerent, à terreſtribus cæleſtia. Viderent poſt hæc momentanea, tamquam filios à matribus, æterna ſequi. Nec tam fatuo delectu

merent in hæc momẽtanearum noctium gaudia, flammis luendæ æternis: nec aspernarentur noctium, id est, seculi huius perituros labores, æterna mercede coronandos. Cùm ergo tam cæco impetu in nocitura ruant, quis non videat tenebrarum delectum hunc esse, lucis non esse? hinc illud Iohannis in testationem rei huius: *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum opera mala. Omnis qui malè agit odit lutem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Ioh. 3.

Sequamur Apostolos, noctibus seculum hoc laboribus designemus: neque diu fluent hi sudores, sequentur æterna, & in luce illa magna nulla nube minuenda, nullis tenebris interpolanda, beabit nos Dominus pro modicis noctium harum laboribus, præmiis æternis, quanta ne

spera-

sperare quidem homo aut possit, aut audeat. Fixum ergo hoc animo maneat. Pro modicis & momento fugientibus, exspectanda æterna, tormenta pro gaudiis, pro laboribus gaudia; ibi flammas, & nullo æuo extinguendos, nullo minuendos ignes; hic nulla æternitate gaudia finienda, nulla minuenda, & quanta nulla humana cogitatio assequi valeat. Non clauduntur reti tot ingentes pisces Dominico imperio capti: non claudunt animæ finitæ gaudia infinita, nisi infinitus ille Deus nullo termino claudendus potenti sua dextera auxiliatrix animæ manu porrigat, firmetque ne gaudii magnitudine victa succumbat potiùs quàm fruatur optatis.

Et sanè, vel ex hac captura piscium discimus quid aliquando sperare debeant quorum omne hic studium voluntati respondet diuinæ. Quid non potest ingens in Deum fiducia?

neque

neque nunc id primùm didicit Petrus; sed cùm ad imperium Domini laxasset retia, trepidaretque de copiosa piscium indagine, audit, *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Luc. 5. Inde prosiliunt hæc verba, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 6. Habemus & ingentis huius fiduciæ exẽplum in Iosue Amorrhæos debellante, cùm ipsis elementis stationem imperat, aliaq; generis huius propè innumera. Quò magis spe pleni, certaq; fide loricati quid nõ meritò audeamus? cũ & virgam Mosis mari videamus imperantẽ, & Ægyptium imperatorem post tot documenta plagarum, maris discidio, quod soli Israëli peruium licebat, reuolutis fluctibus periisse; & ad Eliæ imperium cælum annos tres & menses sex steriisse, aquasque Iordanis ad illius pallium discissis fluctibus sicco vestigio iter statuisse;

eam-

eamdemque viam diuisis ad imperium aquis Elizæo patuisse. Quidni quòd ad maiora his nos prouocet Dominus: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Mentiri non potest qui promittit.

Ioh. 14.

Aude anime. Maiora audendo disces. Ad seculi sponsiones vanas, rebus inanes, fraudibus plenas, quàti valetudinis bonæ, fortunarum, honorum, vitæ, adeoque animæ discrimine decurrunt; perque ætatum omnium infelicia exempla, per cædes & sanguinem, & æternatura decoramenta, tamquam per rosas & violas procurrunt? bis miseri. Hac & altera vita. nos diuinis sponsionibus diuites, à quibus nec fraudem, nec trepidam possessionem dominicæ uicibus minitantem, nec infelices exitus vereri debemus, quid hæremus bis felices, hac & altera vita? mittamus animæ retia, sed amori piscando.

do. Fortunata retia, si beauerit illa amor meus! beatum me, si his implagatum tenuero amorem meum! at nulla illum retia claudent nisi amoris contexta manibus, quibus vltrò se permittit irretiri, ac tamquam cõpedibus constringi. Permitte, corde vt te cingam meo tamquam reti, vt ad nomen magnum tuum, cum felici natatore tuo Petro succinctus lumbos, calcem hos seculi fluctus, proteramque quidquid me separat à te,

Et verò delector Apostolo tuo, qui audito nomine tuo, nec fluctus, nec irata veretur flumina. Excluserat timorem amor. Sed & tarda amori flumina, & ignauiam venti, & torpentia vela. Odit moram amor, omni alite, iaculo, nimbo velocior. Vbicumque amati nomen insonuerit, aduolat, ingenti ausu tranaturus maria. Terra illi ludus est: transcendet æthera, inferorumq; audax transiliet

siliet flammas, vt potiatur amato. nõ cogitat discrimina. Rupibus deuoluatur an molli fœno, iuxtà illi est. Pereat: si in sinu pereat amati, dulce illi perire est. Cadat: si cadit in amati pectore, dulce. Funibus & vnco trahatur: si ad amatum trahatur, iucundum. Ardeat: si cinere hoc integendus amat⁹ est, bene est per mille tormenta deconcretione hac carnis excutitur anima: suaue amato deoppanso corporis huius erumpere ad meram & puram suam lucem amorem suum. Aqua, ferrum, flamma ludus amato sunt, vt amore fruatur suo. Primæ, mediæ, vltimæ cogitationes illius amoris sunt. Dormit, & amico sopore elisum iacet corpus, blanda quietis necessitate prostratum, quiescit, nec ignauescit tamen, patiturq; vt aliquid etiam agere videatur. Hinc illa somnia, non dicam prophetica aut reuelatoria, (quæ & in profanos distillari solent, imbres

etiam

etiam & Soles ſuos peræquante Deo iuſtis & iniuſtis. Pharao nos docet & Babylonius tyrannus) ſed amoris ſomnia ſomnialibus non rarò verbis expreſſa. Vt de amante illud dictum videas: *Ego dormio & cor meum vigilat,* Cant. 5. Sequitur, *vox dilecti mei pulſantis. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Vt non vigilantem modò, ſed & dormientem ſponſam prouocare videatur ſponſus, & in amorem ſui trahere, ipſaq; ſponſa vocantem audire ſponſum, & amicas voces reddere.

Habemus exemplum in diſcipulo quem diligebat Dominus. Qui cùm non agnouiſſet Dominum, ſiue tenebris tegentibus, ſiue in aliena forma deluſus, & tamquam ſomno depreſſus, vt vocem audiuit imperantis, piſciumq; multitudinem ſubſequutam, inclamauit, *Dominus eſt.* Caſtitati & amori prōgatiua cognitionis debebatur. Eadem donatū reperies,

peries, cùm Dominico pectori in vltima cœna incumberet, & tacentibus reliquis, ingentique metu consternatis, audet proditoris nomen depoſcere, de conſcientiæ ſuæ integritate, deque amore ſuo certus. Felix incubatio, & non niſi ſummi cuiuſdam amoris ſumma teſtatio eſſe potuit. Habet hoc omnis amor vt maioris ſibi confidentiæ ſigna largiatur, audeat maiora: decorisque dignitatis immemor non tam plàcidè feratur quàm rapiatur, pudore etiam ſepoſito. Nam cùm amor amantes tenerè arctéque coniungat, fit, vt non tam duo, quàm vnus non immeritò haberi poſſint. Quæ proinde audacia cuiq; in ſeipſum, ea in amatum eſt.

Quis mihi concedat non cum Iohanne amoris mei pectori incumbere, ſed cum Magdalena pedibus, aut cum Publicano à longè ſtante, aut cum Chananæa eminus ſequente,

aut

aut cum Zachæo ex alto intuente, aut cum latrone è cruce pendente Dominico amore succendi? quis mihi concedat pedum, manuum, lateris, cum Thoma vulnera tentare, vt in illis amoris mei figam tẽtoria, cubem in illis cum sponsa in meridie, fruarque fructibus languenti animæ dulcissimis? quis denique (audere amoris est) cum Iohanne pectora largiatur? tu solus amor meus. Largire qui potes. Dulces puluílli, optatus animæ torus. Sæpe mihi amoris hæc eueniant puluinaria: quæ quidquid magnum bonumque diffundunt in accubitorem suum, quę me perpluãt odorato amoris illius imbre, fluminibus illius integant, totumq; consepeliant illi, succendant flãmis illius, vt non iam madeant tantùm cinnirore pectoris illius, sed totus innatem fontibus torrentibusque illius. Nec scintilla tantùm aut ardoribus intepescam, sed totis ardeam fornacibus

cibus illius: nec vmbratili aliqua luce perfundar, sed plenitudine Solis illius irradiatus luceam tamquam in meridie. Vt nihil hic residuum veteris noctis aut tenebrarum sit, ac ne vmbra quidem harum, sed lux tota meraque: adeoq; lux ipsa magnę luci illius indissociando in æternùm nexu implexa.

CAPVT VIII.

Ad illa Domini verba: Simon Ioannis amas me?

Ioh. 21. CVM *ergo prandissent, dicit Simoni Petro* IESVS, *Simon Ioannis diligis me plus his, dicit ei, Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos: dicit ei iterum; Simon Ioannis diligis me? ait illi, Etiam Domine, tu scis quia amo te; dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me; &*

dixit

dixit ei, Domine tu omnia nosti; tu scis quia amo te; dixit ei pasce oues meas... & cùm hoc dixisset, dicit ei: Sequere me: Trinæ negationi trinam amoris professionem opponi hic vides; & iam antè vniuersam illam maculam diluerant lachrymæ, vt nihil nunc opus fuerit lauari pedes aqua, poterant lachrymis; neq; enim credam cùm ad galli cantum & Domini prospectum foras egressus fleret amarè, rariores Apostolum lacrymas fudisse quam illā quæ pedes lauerat, capillis & osculis terserat. Illum qui in horto prostratum viderat Dominū sudoribus, lachrymis, sanguineq; tamquā balneo lotum, non innatasse credam lacrymis recētis delicti memoria? vt non oculos tantùm, sed corpus vniuersum factum iam oculum vnum, totos credam lacrymarum imbres depluisse: quibus tam validè calideque fusis, quis non arbitretur quidquid negatio contaminasset, quidquid

inquinasset metus, in plenum deletum? Nam si Nabuthæ hæreditatem & sanguinem Achab deprecatione & fletibus deleuit, & læsuram abduxit à diebus suis; & Dauid Uriæ cædem confessione & fletibus purgauit; & facilis Dominus Ezechiælachrymis flecti vitæ spatia protendit, Sennacherib in Æthiopas vertit, centum & octoginta millia de exercitu illius deleuit; & destinatum Niniuitis exitium auertit; & regnum Babylonis tyranno pœnitentia functo restituit; quanto ad Apostoli sui lacrymas pronior, cùm amarè flentem videret super negatione metu magis quàm incredulitate extorta? Diluerat ergo iam antè Petrus quidquid macularum contraxerat, quidquid terror impresserat, & tamen ad trinam amoris testationem compellitur, *Simon Iohannis diligis me plus his?* Dixerat audaci magis quàm prudenti ausu, *Etiamsi oportuerit me mori tecum,*

Matt. 26.

cum, non te negabo. Et antè, *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Cùm ergo omnibus se prætulisset, in scandali prærogatiua, petiit Dominus, plusné reliquis se diligeret, qui reliquis scandalum patientibus non pateretur: prudentior Petrus lapsu, & edoctus nimiæ fidentiæ malo. Ita non rarò sapientiæ magister error est; & cecidisse saluti fuit. Sanè circumspectiores ruina dedit, & gustata præcipitia timere docuerunt. Non respondet proinde Petrus quasi quæstionem repletutus, sed tanquam qui malo suo doctus omnes præfidentiæ diffugiat scopulos, *Tu scis quia amo te.* Diffidens animo iam suo, cuius antè impulsu ad maiora viribus prosilierat. Repetitaq; à Domino quæstione eadem quæ priùs reddit; ac tertiò tandem rogatus, ternarum negationum memoria, ingenti mœrore ac trepidatione oppressus, incertus quò densatæ hæ in

orbem interrogationes irent, amoris sui testem nõ alium q̃ Dominum adducit, *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Duræ amanti repetitæ hę quasi diffidẽtis, aut de amore dubitantis amati interrogationes. Nec quidquam graui⁹ illi euenire potest, q̃ si amorem suum in suspicionẽ videat vocari, aut non integri pectoris aut non satis firmi, & loco suo moti, aut aliò ꝓpendentis: faciliusq; illi per ignes & tormẽta potiri amato, quã in suspicionem venire amoris. Imperet fluctus & tempestates, dulces illi sunt, si per hos frui possit amato, omniaque illi imperia mollia sunt, si spem faciant potiundi amato. exclude hanc spem; omnia suauia, dura & aspera & abinimica mente & manu profecta videntur. hinc dolores & indignabũdę prosiliunt lacrymæ, & amarulẽta suspiria, cordaq; palpitantia, durisque mœroribus plena. Quare non mirum si Petrum occupauerit mœror, pudor-

pudorque dolori mistus. Faciebat id Dominus, vt potentiores excitaret in discipulo amoris flammas, ac nescio quam teneritudinem affectus, quasi infantis inter vbera ludentis, aut de castæ matris collo pendentis, dum dextra læuaque sinuq; gratum sedet genitrici pondus. Nam quid aliud sibi hæc verba volunt, *Simon Iohannis diligis me, amas me?* non videntur tibi matris esse post vbera basiãtis labiaque labiis purpurantis, aut genas oculis dissuauiantis? non sunt hæc matris sinu ludentis, nunc tollentis, nunc deprimentis, nunc pectus p ctori, vultumque vultui admouentis, & inter fracta primæ infantiæ verba, post amicas interrogationes, Amasne me fili mi, amasne matrem? elicientem, balbutiente lingua amicum illud & desideratum matribus, Amo, amo te, mater mea, cara mihi mater, amor meus, amo? Idem vsu videmus in

amica hac sermocinatione Domini & Petri, Amasne me Simon, amas? amo te pater mi, mater mea, amor meus, amo. Quis me separabit à te delitiæ meæ, amor meus? amo te cor meum, vbera mea, oculi mei, anima mea, amo. dulcedo mea, gaudium, & corona mea vnica & columba mea, amo. Non amem te amor meus, non amem? post sudorum, lachrymarum, sanguinum balnea non amem? post vincula, flagra, sputa, spinas, clauos, lanceam & crucem non amem? post mortem omnium quæ fuerunt eruntq; acerbissimam, crudelissimam vltrò amore mei amplexatam non amem?

Quis mihi dabit vt eadem insonet auribus hisce amor meus, & audiam dulce illud blandientis inter vbera matris, Amas me? non amem te amor, mea lux, vita mea? non amem te? dilecte votorum meorum, dilecte ex millibus non amem te? &

quid

quid amem, si non amem amorem meum? lachrymæ tuæ quid sunt, si non amoris flumina, quibus innatet hæc amans anima, amorum flammis accensa? sudores tui quid sunt, si non torrentes amoris, quibus tamquam medico balneo lauetur hæc amans anima amore tui saucia? sanguinis tui prodiga fluenta quid nisi mare magnum statuant, cui prospero cursu innauiget hæc amans anima? Vulnera tua quid sunt si non quinque torrentium, fluminum, oceani fontes, quibus non modò sitim leuet, sed inebrietur hęc amans anima musto tuo satianda? quid patulum vulneribus pectus, si non vbera lacte fluentia, amoris rore distenta, quibus pascatur hęc amans anima? quid caput tuum spinis quaqua parte circumsessum, si non nobile rosetum & aromatum areola, in qua hæc amans anima odorato perfundatur nimbo, amori suo iungenda? claui tui

quid sunt, si non validi amantium nexus, nulla ætate, arte, dolo, viribus dissoluendi? lancea tua quid est, si non reseratio pectoralis fasciæ? si nõ reducti & reuulsi cardines amoris mei, quibus strata via amanti huic animę tot seculis validis repagulis firmata? crux quid est, si non torcular dilecti mei musto suo natans, si non lectulus melioris Salomonis mei? cuius ascensus purpureus, mediaque perpetua charitate constrata, inuitatoria sunt amantis animæ, amore grauidæ, quæ currat in odorem vnguentorum tuorum, maximè vbi cum Apostolo tuo audierit, *Sequere me.* Vbi cum sponsa tua, *Veni in hortum meum soror mea, sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite & inebriamini charissimi.* Cant. 5

Verùm quid sperem vocem sponsi, qui necdum inaudierim vocem

seque-

sequelam imperantis; aut sanè non sequutus sum inuitantem, cùm traheret me in odorem vnguentorum suorum? vnguenta potiùs seculi sequutus & quidquid illud de inanitate promittit, quàm quidquid Amor meus de diuite area, de vinea & vberibus suis. Nam quota pars vitæ meæ decucurrit in odorem dilecti mei? quota sedit sub vmbra illius? circumspice te totam anima mea & metire gressus tuos. Vide quem vita, moribus, votis expresseris: cuius vestigiis institeris, cuius sponsionibus illecta, obaudieris voci. Non toto conatu sequuta est carnem & sanguinem, peritura oblectamenta, momentaneas delitias? aut si sequuta es Dominum, vbi vincula & flagra, sudores, lacrymæ, sanguis? vbi crux & claui, & implexa capiti corona? vbi purpura sanguine lota? vbi lilia conuallium, submissæ mentis animus castus, & antè per medias fornaces, quàm per

non casta pascua iturus? vbi opum honorum, voluptatum contemptus & proculcatio? vbi victoria tui, & triumphi de seculo acti? vbi cicatrices & vulnera, & sparsus non inglorius sanguis, dum vestigiis miles ducis tui inhæres; perque inimica graderis agmina sanguinem sitientia? quæ si non præfers miles, & alienas sequutus es aquilas, ignarus labari ductoris tui, alieno sacramento obstrictus, quid speras? præmia sanè ab iis speranda, quibus vitæ, laborum, sudorumque potissimam partem dicasti. Nec miles ab alienis castris præmia sperat. Ab iis quibus sudor laborque fluxit, quibus noctes steterunt insomnes, quibus frigora & æstum tulit, quibus vulnera & sanguinem dedit, animamque per vulnera ituram, sperari præmia possunt. Seculo qui hæc dedit, seculi donatiuũ exspectet, de seculo laureatus. Aut sine victoria triumphos, sine prælio victo-

victoriam, sine vulnere prælia quisquam speret? vbi nulla bella, vulnera, pugni, quassationes, nulli calces arietant, nulli cæstus dilaniant, nulla flagella dilacerant, nullum ferrum sanguinem bibit, sperari corona nõ potest. Etiam apud seculum per cruorem & vibices negotiamur, cùm gloriam & priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, dignitates, statuas, & qualem præstare de fama æternitatem potest, venamur. Et Deũ dedecebit per ignem & gladios suos ad præmia vocare? aut extimescet vulnera miles æternitatis corona tecta? expauescet ad sanguinem cæli purpura delibutum? timebit itinera ducis sui vestigiis complanata? & trepidabit æternitate proposita? aut non credet promittenti, nunc arborem vitæ, & mortis veniam secundę, nunc latens manna cum calculo cãdido, & nomine ignoto, nunc ferreę virgæ potestatem, & stellæ matutinæ clari-

claritatem, nunc albam vestiri, nec deleri de libro vitæ, & columnam fieri in Dei templo, & Ierusalem cælesti inscribi, nunc residere cum Domino in throno? & quorum hæc, nisi quorum labores? illorum enim victoriæ, quorum pugnæ, eorum pugnæ, quorum & sanguis: quorum de sequela Christi sudores & lacrymæ, eorum & gloria.

Sequere anima mea non timidè ductorem. ignauus miles est, qui ducem per vulnera & sanguinem euntem, flens sequitur. Sequere per vestigia sanguine suo purpurata gradientem, per clauos & lanceam. Neq; alia via ad amoris tui magni domum magnam, ad Regis tui magni regiam magnam, ad reposita cælo præmia æternitate donanda. Et sanè si amas, exultans & gaudens sequeris amantem; & amabis ferrum, vulnera, sanguinem, mortem, quæ te ducet ad amorem tuum. Adeò amasse vicisse est.

est. Sequere cum Apostolo, vt aliquando ex vero prorumpere in has voces possis, *Domine tu scis quia amo te.* *Ioh. 21.* Quantum sequeris, tantum amas. amoris mensura sequela est. Sequere, vt ames, imò si amas: amabis si sequutus fueris.

Ingruunt tentationes & vndique inimica intonant arma, spondent, minantur? tu obiice clypeum, *Domine tu scis quia amo te,* insurgit caro, domestica bellua, efferum monstrum, nulla lenitate domandum, nullis blandiciis frangendum? oppone, *Domine tu scis quia amo te.* Honores alliciunt, & opes, & quidquid seculo magnum? meméto Apostolici dicti, *Domine tu scis quia amo te.* Vt illud aliquando in te locum habeat Apostoli alterius, *Certus sum, quia neque mors,* *Rom. 8.* *neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia*

poterit

poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo IESV *Domino nostro.* Hæc charitas, amor est, qui Virtutibus ac Principatibus superior, non terretur præsentibus, animatur futuris, rides fortia, calcat magna, profunda contemnit, & supra quidquid creatum est fertur, omnibus maior, durior saxo, tenacior ferro, chalybe firmior, adamante certior, auro gemmáque nobilior, excelsior cælis, & quidquid vniuersi ambitu continetur. Sequere hunc anima mea, nec ad dextram declina aut sinistram, sed regia gredere via, regia in crucis baiulatione purpura signata, vt æternùm sequaris, æternumq; fruaris Amore tuo nullo æuo minuendo.

CAPVT IX.

Ad Ascensionem Domini in cælos.

ACCEDENS IESVS *loquutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Et eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipsi regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum.* Mixtum mœrori gaudium tenebat Apostolos, qui & frustrari Domino dolebant, & referari cælum gaudebant. clauserat illud primorum parentum delictum primordiale, quod per traducem transierat in posteritatem. Quid non potest peccatum? vnius pomi delibatio quanta res est! & tamen ex hac scintilla quantum incẽdium natum est? quod nonnisi Christi san-

Matt. 28.

Luc. 24

sti sanguine restingui posset. Cui ex-
tinguendo omnes venarum catara-
ctas tam lubens soluit, quàm fortiter
amauit: vt per purpureos hosce flu-
ctus ad speratum à quo excideramus
portum felix nos nauclerus deduce-
ret. Iam quo dolorem magis etiam
mitiget, præsentiam suam in seculi
finem discipulis addicit. Quid po-
tuit optatius aut sperari à nobis, aut
sponderi à Christo? quid aut timori
augendo peccato proritante, aut fi-
duciæ excitandæ, expugnationeque
uiente, subsidio esse magis quea-
quàm si cogitemus adesse illum o-
mnibus iudicem, patrem, propugna-
torem, præmiatorem? Quis in ocu-
lis iudicis sub fune & securi, patibu-
la, viui comburia, culeos, vncos &
scopulos videns, morte luenda com-
mittet? Quis patre spectatore impe-
rata transgredietur.

Iam cùm cogitamus præsentem,
quid verebimur hostem? exsurge-
quid-

quidquid orbe toto validum, quidquid robore primũ, quidquid prudentia ſummum, quidquid immanitate crudeliſſimum; ſtipulæ ſunt vẽto agitatæ, Chriſto protegẽte. Incurrant aduerſantium agmina, hoſtiles acies, defraudent inſulas maria, externa atq; interna bella dilaniẽt, regnis regna cõpulſentur, ſuperſedeãt vrbibus vrbes, fluminaq́; mariaque mortem biban; paleæ ſunt, Chriſto propugnante. Iterum orbis aquis integrarur, mariq́; conchæ in montib. peregrinentur, ingens etiam de cælo agrorum vaſtitas, & orbæ regiones, & fruſtra iam agri & vrbes retro populiq́ue frequentes, & nec nomina nunc nota, accedat inglunies ſoli, & regna voraginem paſſa; deniq; quidquid nec maria, nec diluerunt flumina, nec ſubduxit terra, nec detotõdit gladius, nec ſuperbiſſimi incenderũt mõtes ignis intrinſecus fœti, deuerrant venti aquilone nati; bullæ ſunt

infan-

infantiæ primæ, Christo defendante. Inferorum demum prosiliant legiones, nullo sanguine, nulla æternitate saturandæ, circumeant quem devorent; muscæ sunt elephante calcatæ, Christo dextera protegente. Quod si contigerit animam prauis institutionibus circumscriptam, libidinibus & concupiscentiis cum Magdalena & filio prodigo euigoratam, aut opibus cum Matthæo & Zachæo ancillantem, impulsu Domini tamquam ex crapula aut somno aut infirmitate aliqua, ad se & ad valetudinem suam redire; miratur temeritatem & fatuitatem suam, & diuinæ clementiæ benignitatem, & tuitionem multò etiam magis in hostili hac mente & inimica Deo, incipitque paulatim diuino spiritu inundata, seipsa iam valentior vltrò exsurgere in pugnam; & animos addere Dominicis innixa verbis, *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consum-*

Matt. 28.

matio

mationem seculi. Si tecum Dominus, quid vereris anima? non talis *habitat in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli commorabitur?* non ad eum verba hæc eunt? *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius; non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris; ab incursu & dæmonio meridiano.* Magna Dei dignatio qui præsentiam suam spondet homini. Scimus adhærere nobis spiritum nequam, ab ipsa natiuitatis ianua animam aucupabundum; scimus & tutelarem angelum animæ, carni tamquam dotali mancipio nubenti, ab ipso connubii nexu inhærescere, at iam discimus in omnem ætatem Dominum nos habere propugnatorem, & auxiliarium ducem. *Psalm. 90.*

Ita è sponsione hac magna Domini votoq; eueniat mihi, illum vt habeam ducem, comitem, mœcenatē, prote-

protectorem, patrem. Nulla sine illo dies hora, momentum eat, nullæ cogitationes aliorsum vela faciant. nulla vota extra hunc scopum tela mittant; numquam, nusquam illo incomitatus pedem moueam. Claudatille latus, possideat pectus hominéq; totum, vt nihil præproperum elabatur, nihil venia dignum, nihil pœnitentia emendandum, nihil scopi verrendum aut delendum spongia. Benedicatque mihi non de opimitate terræ, aut de rore cæli; nisi terram corpus illius intelligamus, singulari inter reliqua nobilitate ab assumpti numinis prærogatiua illustre; & roscælestis, fœcundas sancti Spiritus immissiones designet. Tunc enim & cælestis roris, & terrenæ opimitatis benedictione quis non gaudeat, lætetur q; super benedictionib. Abrahæ in multitudinẽ arenæ repromissis, & ad instar stellarũ destinatis, quæ terrenarum & cælestiũ dispositionum

obscur
perque
cisi, ne
nibus,
impert
dction
tectis, in
induere
sunt, a
sui mag
Ben
diction
Magda
Matth
quorun
laudet
tationi
tuas an
turq; te
petent
tur con
nexu c
agmin
portio
obsc

obscura quædam auspicia erant; superque Melchisedechi nec circumcisi, nec Sabbathizantis benedictionibus, post decimarum oblationes impertitis? Nam quid sunt hæ benedictiones ad illas Domini cælum petētis, imperantisq; exspectare donec induerentur virtute ex alto? vmbræ sunt, ac ne vmbræ quidem corporis sui magni.

Benedic mihi, amor meus, benedictione amoris tui benedictione Magdalenæ tuæ, Publicani, Zachæi, Matthæi, Pauli, Petri, Thomæ, reliquorumq; Apostolorum tuorum, vt laudet te anima mea in iubilo exultationis, decantetq; æternum laudes tuas amoris tui cātico satiata, sequaturq; te abeuntē, cælorumq; summa petentem; neq; votiuo tātùm sequatur comitatu, sed amoris indiuiduo nexu coniuncta tibi inter beatorum agmina, non ignobilis amantium te portio, æternùm societur tibi.

Fortu-

Fortunata ô dies, quæ te vidit aëra cælosque calcata morte transcendentem! Quis mihi triumphos cælorum, quis angelorum narret legiones festo occursantium plausu? quis felicia Patrum agmina limbo eductorum? quis ipsum Dominum, tanquam terris cæloque debellato, terras cælumque triumpho suo inuehentem, opimaque de hoste spolia trahentem non veneretur & colat? quis non gaudeat cùm viderit spiritum illum dæmoniacæ & Angelicæ naturæ, humani generis ob diuortium æmulum, ob Domini gratiæ inuidum, carcere & vinculis arctatum, feritate repressa, crudelitate domita, immanitate subacta, fastu sub iugum misso & calcato? quis non triumphatori suo lætam offerat hostiam? non grana thuris vnius aut Arabicæ arboris lacrymas, non dulcimeri guttas, non sanguinem reprobi hominis mori optantis; sed laudes

ac orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam?

O si pro triumphatore meo corpus hoc vngulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii detruncent, bestiæ insiliant, vt tota iam hostia cadat Deo meo. Procul à triumpho nostro Gentium ritus. Nam quò iuuat focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, lauro postes obumbrare, lucernis diem infringere, vestibula enubilare, ciuitatem tabernę halitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim ad iniurias cursitare, ad impudentias, ad libidinis illecebras; quasi publicum gaudium non nisi per publicum dedecus exprimi possit, & per habitum noui alicuius in publico lupanaris? Non sunt hæc Dei mei. Cui, si pro omnibus, si pro hoste subacto, morte repressa, vinculis solutis, carne domita, fastu calcato, si pro sudoribus

fusis, lachrymis prodactis, sanguine propinato, conscientiam offeram puram, mētem castam, pectus amoris suspiriis anhelum, cor dilectionis singultib. tremulum, animam amore sauciam; triumphum expleuero. Magis etiam si totus illius inardeam ignibus, tormenta rideam, & quidquid seculum, quidquid tyrāni portio inferorum de crudelitate reperierunt. Sæuiant flammæ, modò maiore intus ardeam flamma, quid poterunt flammæ? tales triumphos dominico qui intulerit triumpho, beatus. Non quales præmio laudis humanæ Mutius decinerata dextera; nec quales Regulus multorum hostia; vel quales Anaxarchus pilo cōtusus; nec quales Attica meretrix cùm indignantem linguam & vocem expueret, ne coniuratos prodere-ret, si etiam victa voluisset; vel quales Zeno flagrorum contemptor; sed quales Domini inuitatu & exemplo

Stepha-

Stephanus, Petrus, Paulus, Laurentius, Tiburtius, Valerius, Polycarpus, Ignatius, saxorũ, crucis, securis, craticulę, prunarum, ignium, ferarum victores; quales Domitilla, Agnes, Agatha, Lucia, Susanna, Christina, Cęcilia, Catharina, Barbara, gladiorum, flammarum, vngularũ, balneorum ardentium, rotarum, fustium domitrices, sponso suo Christo triumphos sacrarunt, sub præmio consequutionis cælestis gloriæ, & diuinæ mercedis, amore maximè stimulante, qui illas & in incendia deuolare, & in bestiarum rabiem, in excelsam crucem, in summam ignium pœnam docuit, & vltrò etiam appetere amore cogẽte. Non & præmiante? Nam cùm legissent, post clauos & crucem lanceamque & monumentum, surrexisse Dominum, cæloq; nobili triumpho illatum; æmuli triumphi, facti sunt æmulatores crucis, vt qui socii fuissent pœnarum, essent & gloriæ. Hinc

clauii illis & ignes grata victoriæ materies; rotæ & secures capiti coronæ & pro gratia floris, pro lætitia frondis, pro gramine, cespite, palmite, populo, oleastro, apio, lauro, hedera & spicis, spinæ & arundines, quòd scirēt ex illis sertum Christo suo implexum stetisse, vt omnes mortis aculei in Dominici capitis tolerantia obtunderentur.

Et sanè quem non pudeat Christianum lauro & myrto & olea & illustriore quaq; fronde, aut centenariis rosis, liliis & violis coronari, qui Domini tempora spinis fœdata & lancinata viderit? nisi forsan auream & gemmeam Christi post resurrectionem emuletur. Hanc qui cogitat, imitetur cum tot in vario sexu athletis Christum, & talem hic Domino coronam rependat, qualem ipse tulit. Aut si spinas auersatur, nec flores, nec aurum, nec gemmas spectet, nec partem victoriæ Domini sui

post

post spinas triumphantis. Placet triumphus, cælo, terra inferisque stupentibus? placeant spinæ, claui, lancea. Aut si hęc displicent, nec placeat ille, memor Christum non nisi fauos post fella gustasse; nec ante Regem glorię salutatum in cęlestibus, quàm Rex Iudęorum proscriptus fuisset in crucem. Huius crucis & victoriæ suę & de triumphati peccati quanta signa præferat nemo non videt, qui vulnera intuetur, manubias vt captiuorum orbe toto Deorum falsorum, ita & potestatis infernæ, quibus omnia illius inuicta tot seculis arma nobilis athleta debellauit.

Fruere his anima mea. Omnem hic habes armaturam fortium. Neq; mille iam clypei pendent ex his, sed quidquid validum, quidquid cælo terrisque robore primum. Ardet in te tamquam Babyloniis accensa fornacibus caro? flumina hic habes paradisiacis meliora, quibus restinguas

flammas. Mœroris te suffocat & integunt fluctus? ignes hic inueniesamoris fornacib. eductos queis pellas hęc frigora, quibus oppressa gelascũt corda. Intepuit & nauseabundus elanguit animus fastidio suo grauis, ac tamquam grandine aut niuib⁹ insepultus iacet? habes hic Soles, quorum radiis repentes hæ niues grandinesq; incalescant & soluantur. Insurgunt mentientes honores, multaq; irrito plurimùm conatu promittentes opes, blandiensq; & ille mundus? habes hic firmissima tutelaria propugnacula, nulli potentiæ aut armatæ dexteræ cessura. Superbia hic humilitate calcatur; auaritia liberalitate pellitur; odia amore restinguuntur; intemperantia à continentia deiicitur; ira à mãsuetudine superatur; petulantia à modestia obumbratur; sæuitia à misericordia contũditur; à fide perfidia cęditur: omnia deniq; vitia à virtutib. de triumphata videbis.

Fruere

Fruere proinde his anima mea, q̃ diuite fluunt tibi vena, adeoq́; totis tamquam Oceani profluunt ostiis; quæq́; in testationem perennaturi in ęuum amoris delegit sibi amor tuus. Patent hæc amoris ostia tibi, reserata tibi; in æternum locuplete fluxu pãdenda tibi. Quid vereris: vbera sunt benignę matris cælesti distenta rore. qs infans trepidauit ad vbera matris? noxia hic omnis verecũdia est. nescit infans erubescere, sanè nusquam minù quàm in vbere ludit pudor. Exulat omnis hinc verecundia, & nesciũt pudere sugentia labra. Tu puer es, & & inter vbera amoris tui infantię adhuc primæ puer lacte fouendus, nutriendus. Nulla vbera nobiliore lactatorem suũ perpluunt imbre, nulla distenduntur illustriore rore. Magna fuerunt & cælo data, virgine fœcundata lacte; maiora sunt hæc quæ virgine natauerunt purpura cælesti sanguine lota.

Felix anima, si labia tua spongia fiant vberum horum, auaræq; spongiæ munificentissimarum matrum harum purpureo soboles fonte lactantium. Felix si pendeas ab his veberibus, si laterali claudaris vtero Amoris tui, pascendus & lactandus sanguine, animandus corde & anima, vt illius iam non tuo nutriaris succo, illius non tua viuas anima, æternùm hac animatione beatus.

CAPVT X.

In diem Pentecostes.

Act. 2. CVM *complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus est repentè de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuernnt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœpe-*

cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Reliquerat terras Dominus, petierat cælos: & iam ante mortem abiturus, prouidorum parentum more, & testamento cauerat nequa fraus intercederet, nequa animorum dissensio. Parens illi omnium, filii nos omnes. nec aut magis minusve pater illi vni, aut nos filii. Par in omnibus ratio. Eodem afflatore stat in omnibus anima: cui immortali mortale in vtero circumgelauit corpus, in primo parente è virgine terra, necdum opere compressa, necdum semente subacta. Nec Regis apud Deum maior gratia, nec barbarum alicuius imperiosum fastigium, non dignitatum, opum, natalium cuiusquam discreta merita. Omnibus æqualis, vt Iudex, Rex, Dominus, Deus; ita & Pater est. Nescit fortunarum & ætatum discrimina pater, ignorat discreta robora, nec auro, carne, honoribus fi-

lios metitur. Nec patrium affectum fortuitis temperat. Cùm se meminerit omnium parentem, nec quemquam de prærogatiua filium censeri. Eiusdem diuini afflatus Spiritus omnes, eiusdem figulatoris corpus, eiusdem sanguinis pretium sumus: quem non pro dignitatum, naturalium, & opum discrimine, sed pro patrio in omnes affectu dispertiuit, pari in omnes munificentia, largitione pari. Singulos proinde in solidum hæredes statuit. Ita vt neque vniuersalis hæredis institutio quidquam aliis detraheret, nec plus vni concederet; cùm quidquid haberet corporis sanguinisque sui magni, iuxtà in omnes partiretur. Verùm parens erat, nos filii, & pupilli & orbi in parte. Quis aut hæreditatis huius dispertiendæ, aut orborum curam haberet? & fere pupillaria bona si tutore destituantur, neglecta iacent. Quare Spiritum sanctum orborum

filio-

filiorum tutorem & aduocatum delegit. Et ne quod mora periculum crearetur, misit qui filiorum animos firmaret, qui tutaretur pupillos. Neque poterat parens animam spiritus sui auram, afflatus sui germen; nec corpus manuum suarum operam, afflatus sui vaginam, carnis suæ sororem in æternum destituere interitum: aut vniuersum hominem bonorum & paternæ hæreditatis exulem fraudare speratis, & ad quæ conditus erat. Peccauerat, fateor, sed vt in virgine adhuc Eua irrepserat verbum ædificatorium mortis, ita in Virgine æquè introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ. Vt quod in eiusmodi sexu abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Factum, & natus est è virgine carne numquam resignanda, qui parentum lapsum infelici traduce prosemiuatum, matrumque sanguine fo-

tum & paſtum, ſanguine ſuo repara-
ret. Factum vt venit, nec mirum.
Nam & figulus temperato ignis af-
flatu in robuſtiorem materiam ar-
gillam recorporat, aliamque ex alla
fingit formam. Quo magis ille libra-
tor ſpiritus, primordiale Patris Ver-
bum, Verbi ſui vmbram, ingenii ſui
curam, liberalitatiſq; ſuæ hæredem,
è dura eriperet ſeruitute, & in melio-
rem redigeret formam. Expleuerat
hoc in cruce, in qua calcata morte,
detriumphato peccato, olim hære-
dem, pòſt exulem, iterum cęlorũ hę-
redem ſcriberet. Verùm quò omnis
hæc benignitas Patris, ſi ſibi relin-
queret pupillum hæredem, ignarum
rerum, hoſtibus prædam? prouidit
ergo de tutore, tamquam altero pa-
rente.

Hinc ille repentinus *de cælo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehemen-tis, & impleuit totam domum vbi erant ſedentes.* Quomodo vehementis ſpi-

ritus,

ritus, qui mitissimus esse consueuit, non turbine glomeratur, non nubilo liuet; sed teneræ serenitatis apertus & simplex spiritus est? & nou spiritus Christi mei mansuetissimi? non tamquam ritus ex fonte illius, surculus ex fronde, qualitatem originis continet? aut tamquam vicarius illius spiritus, vicariam mititatem præfert? & labitur potiùs quàm impetu feratur? nisi quòd & Dominus in turbine, planè in spiritu vehementi, sed amoris spiritu. Est enim & amori sua vehementia. Nam & in horto illo amoris & doloris agoniæ magnæ, non ficut impetus grandinis, ita oculorum fontes validi & potentes saliunt? & sicut tumultus turbarum mutuo se prementium, ita prorumpentes sudorum torrentes? & sicut impetus aquarum multarum inundantium & emissarum super terram spacioſam, ita impetus sanguinis disruptis venarum aggeribus

terram

terram vndique contegentis? Iam qui spinas recensebit & flagra, qui crucem hastam clauos, non in spiritu vehementi, tamquam in procella ruente, in armorum & elementorum collisionibus, mixtum lachrymis & sudorib. sanguinem totis ostiis proruentem, litoribusq; late imperantem videbit? Amoris ergo impetus maior, q̃ vel indignationis, vel furoris est. Cùm mẽs amore loco quasi mota extra se rapitur, nec vbi animat, sed vbi amat, est. Hinc illa omnium obliuio, & contemptus etiam ac proculcatio opum, honorum, voluptatum, amicorum, adeoque sui ipsius, nulla propè decoris aut dignitatis habita ratione. Hinc etiam in Regibus primaque nobilitate, diuitiarum, purpuræ, & sceptrorũ odia, paupertatis amor. Hinc carcer & vincula, omnisq; duritia & inbonitas & & insuauitas pro mollibus optata. Hinc etiam medios in ignes, & craticulas

culas viri iuxtà ac viragines prosiliunt, in flammas deuolant pueri, in fornaces dissiliunt alii, calcant prunas: secures, bestias, vngulas, ignes, sartagines appetunt, amore impellente. Nihil miraberis, si cogitaueris flammas rosas factas, reliquaq; tormenta lilia & violas, amore refigurante. Quo impulsore *ibant* Apostoli *gaudentes à conspectu concilii* flagra & contumelias passi: & audiunt illud, *musto pleni sunt*. Beata torcularia tam fœcundo musto grauida! felices qui non auro aut gemma, sed toto se fortunato hoc proluũt autumno, cellis toris; quibus quidquid graue & asperum, vertitur in lene ac molle, fella & venena in mel & saccharum. Qui exclamat cum Apostolo, *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam*, & cũ Mathathia; *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur, & non cras inuenietur: quia conuer-*

Act. 5.

Act. 2.

Phil. 3.

1. Machab. 2.

conuersus est in terram suam, & cogitatio
Act. 2. *eius periit.* Euenit hoc Apostolis, cùm *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tam-quam ignis, seditque supra singulos eo-rum.*

Ignis non semel interminantis Domini signum fuit. hinc illud Isaiæ
Isa. 30. *Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis: allidet in turbine, & in lapidi-*
Isa. 66. *grandinis.* Et apud eundem: *Ecce Do-minus in igne veniet: & quasi turbo qua-drigæ eius: reddere in indignatione furo-rem suum, & increpationem suam in flam-ma ignis.* Amoris tamen hic symbo-lum est. & fors nulli rei propiùs com-
Heb. 12 poni ignis potest. *Etenim Deus noster ignis consumens est,* Et ab ore illius ha-
Luc. 12. bemus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* in cordibus nimirum humanis. Vt depulso fri-gore solutaque glacie seculi cupidi-tatum, exesaque omni rubigine ve-

terit

teris Adami, exsurgamus tamquam *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, & tanquam aurum *quod per ignem probatur* Domino in holocaustum. Felix anima, quæ hoc igne depuratur, vt excoquatur ad purum scoria illius, nec quidquã reliquum sit quod displiceat oculis illius. Felix quæ hoc igne accensa amore illius exardescit: cùm trahit anhelum pectus flamma illius succensum; cùm palpitantia assurgunt corda, crebrisque singultibus amorem suum testatur, flammasque loquitur; cùm tanquam in stadio præpropero, solicitoque cursu, ad agonis sui brauium aspirans, donatiuum exspectat ingenti spe calceata, deque promissionum paratura succincta, totaque his ignibus circumsessa; cùm tamquam per montes & saltus, campos & nemora decurrit, retia tendit, indagines etiam antelucanis horis explicat, diesq; noctesque ducit insomnes,

Psalm. 11.

1. *Pet.* 1

somnes, nec lassitudinem suam sentit, nec sudores metitur, ciboque adeo & potus obliuiscitur, donec optatis fruatur ; cùm sitis huius ardoribus tamquam de fornacis caloribus exasperata, *quemadmodum desiderat cerus ad fontes aquarum*, ita sitiat *ad Deum fortem, viuum*, exspectans satiari sponsionibus Domini : *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis*. Et: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in die illa, Cantate Domino quia magnifi è fecit. Annunciate hoc in vniuersa terra, exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.*

Ps. 41.

Apoc. 21.

Isa. 12.

Vt verum iam sit illud, *Scissæ sunt in deserto aquæ & torrentes in solitudine, & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.* Quod verbis suis confirmauit Dominus, *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Addit Euangelista, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus*

Isa. 35.

Ioh 7.

datus,

datus, quia IESVS *nondum erat glorificatus.* Et promiserat per Prophetam, *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam stirpem tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* Habes in hanc sententiam illud ad Samaritanam, *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fies in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Isa. 44. Ioh. 4.

Fiant hæc in me, vt bibam de fonte viuo, satier de fonte aquæ vitæ, hauriam de fontibus saluatoris, cantemque Domino quia magnificè fecit cùm in deserto animæ huius scissæ fuerint aquæ; & in solitudine cordis huius enati fuerint torrentes; & quę erat arida, defluat in stagnũ & in fontes aquarum, vt fluant de exsuccido pectore hoc aquæ viuę, quas effundat

fundat Dominus super sitientem aridamque hanc mentem, vt quæ erat sterilis fœcundetur in salices: nec iam vltrà sitiat cùm in ea excreuerit fons aquæ vitæ salientis in vitam æternam. Excrescat hic fons iungaturque origini suæ Spiritui sancto, à quo aquæ vitæ vt fons animæ meæ paruulus crescat *in fluuium maximum & in aquas plurimas* redundet, stillèque montes Gelboë peccantis huius animæ dulcedinem, & superbiæ colles fluant lacte, & *fons de domo Domini* egrediens irrigare incipiat *torrentem spinarum* mearum, mare nimicum magnum spinarum huius seculi, quibus confossa & medullata iacet anima protendens sitientia & liuentia à siti labra ad fontem vitæ, vt eueniat mihi illud Prophetæ: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Inebrier ab hoc fonte, ab vber-

Esther. 11.

Ioel. 3.

Ps. 35.

tate

tate vineæ, torcularis & cellæ tuæ, & torrente voluptatis domus tuæ pota me Domine, vt plenus musto & vino tuo, ebria deructem amoris verba, grata tibi pocillatori & è torcularibus calcatori meo: plenus hoc vino madeam, adeoq; innatem totus felix natator musto tuo, Spiritus sancti manibus expresso.

Hic enim ille datur munerum, hic ille beneficiorum largus erogator. Ab hoc fluunt illa vina orbem crapulantia. Quibus inebriati, sceptra & diademata calcarunt reges, ne calcarentur æternùm; opes & honores protriuerunt alii, ne protererentur æternùm; voluptatem & delitias sub iugum miserunt, ne mitterentur ipsi æternùm. Quàm multæ Deo maturitatem suam sponsarunt, in illiusque voluntatem concesserunt aliorum oculis gradum obstruentes, vt inciperent iam tum hic Angelicam paraturam induere? Quàm multi

multi omnibus vitæ gaudiis renunciantes à liberiore conditione ad duram & asperam transierunt, excitihac cogitatione: Prudens negociatio est aliquid amittere vt magna lucreris? quanti per ignes & secures ad meliorem vitam conuolarunt non reformidantes maiora pro veritate in salutem, quam quidam affectarunt pro vanitate pati in perditionem, veteri prouocati verbo, tanti vitrum, quanti margaritum? quàm multi ex metu & voto, æterni ignis & regni pœnitentia verrente & radente, mundam iniquitati antèpectoris domum Spiritui sancto pararunt his similibusvé prouocati, Peccauimus! pœnitere non pigeat. Periclitari pigeat, non liberari. Iteratur inualetudo, iteranda medicina est quam multi post non paucorum annorum principum atria nocturnis & crudis salutationibus occupata, ob exigui temporis volaticum honore

& gau-

gaudium, meliora à Spiritu edocti, in castigatione victus & cultus offenso Domino reliquum vitæ sacrarunt, prodactæ per seculi vanitates saluti reformati?

Neque hæc ab alio quàm à Spiritu sancto, cælestium donorum largitore & erogatore nata. Quo magistro Prophetæ cælitus inundantur, exsurgunt linguæ, grandescit sapientia, discretio erigitur, matureſcunt consilia, calcatur cum opib & honoribus libido, vt exulem iam videas à seculo, seculo licet inhærentem. Docuit illum alias sedes, patriam aliam, voluptates, honores, opes alias, amicos alios, alia regna & imperia Spiritus. Nam licet seculo corp⁹ includatur, omnia tamẽ animæ à Sp. edoctæ patent, & nõ iam stadia, aut porticus regias, aut regnorũ palatia, sed viam sibi proponit, viam inambulat, quæ ducit ad Deũ, ad cælĩ palatia magna, cælorum regna, & imperia prima.

Hic

Hic ille Spiritus est, per quem viduæ & steriles antè aquæ postquam insedisset Dominico capiti, fœcundatæ, delictorum iam expiatrices factæ sunt in salutem, vt quisquis purgatrice nunc aqua Spiritu grauida tinctus fuerit, veterem contaminationem adeò ignoret, vt nihil in hûc delictorum credas à primi parentis traduce permeasse. Hic ille interpellat pro nobis gemitibus in eloquacibus, aduocati implens officia, & protectionis exhibens munia. Quo repleti Apostoli, *cœperunt loqui variis linguis*, ne deessent linguarum discriminibus doctores, aut ne se destitutas queri nationes possent. Hinc iam Germanorum & Hispanorum omnes termini, Gallorum diuersæ nationes, Britannorum inaccessa olim regna, Maurorum vastissimi fines, Getulorum varietates, Scy harum Sarmatarum, Dacorum vicinarûq; prouinciarum, & tot inacces R-

Act. 2.

manu

manis loca, Christo iã subdita, Christum linguis suis loquũtur. Sua Chinenses, Iapones, Mogoris & Bengalę regna, & quidquid Oceano in Oriente alluitur & circumnauigatur: sua Occidente Brasilia, Mexicana, Peruiana, lateq; mari orbeque toto sparsa imperia.

Quis me repleat hoc Spiritu? quo vno mœrores deterguntur, nocitura soluuntur frigora, incalescit fastidientis stomachi tepor nauseam prouocaturus, noxius fugatur æstus, exulat timor, constantia firmatur, roboratur in aduersis animus, temperatur in prosperis, floret pudicitia, animatur pietas, ita reprimitur, sedantur odia, mutuus inardescit casti amor, pulsa auaritia succedit munificentia, superbia calcata humilitas extollitur, surdescunt quotquot seculo sponsiones, & ad maiora mẽs erigitur. Hinc illi calores cęlesti flamma succensi, palpitantia corda amo-

re saucia, pectus anhelum amore lassum, longa suspiria amore nata, cadentes genæ amore percussæ, liuentia labra amore obtrita, tremuli dentes amore concussi, caligantes oculi amore obnubilati, frons deiecta amore pressa, capilli neglectiamore sparsi, fatiscẽtia membra amore oppressa, emoriuum corpus amore exanimatum. Atque hinc lachrymæ, tamquam imber nube sua sciss tamquam fontes supra margines lientes, tamquam torrentes saxis sus altè superstantes, tamquam flumina aggeribus ruptis, tanquam maria toribus innatantia. Hinc etiam lasati pectoris sudores solis sui præcii, autoræ suæ indices, animæque more suo grauidæ soboles fœcund aut tanquam vberum succus; vt corpus totum vber iam sit vnum gr amori suo, aut sanè tot vbe aquo sudoris scaturigines, ac quasi lacte fontes, quibus pascatur & satiet

dilectus vberum amicus. Hinc etiam illa ebrietas, amoris vinea torcularibus, cella, musto & vino prouocata, è qua verba vinum suum loquentia, olentia, locisque non suis posita, semesa, balbutiente ore prolata, mediis concisa & occisa labris, præmansa dentibus, nec tam per orationem, quàm per crebra suspiria vota depromentia, & amorem suum nullo delectu prodentia.

Ardebant hac flamma Apostoli, natabant sudoribus, madebant vino. Et illi iam antè parietibus tamquam propugnaculis septi, ingenti vndique terrenæ potestatis formidine circumsessi, & ad timorũ vmbras corpore suo viduas trepidantes, ac ad mulierculæ vocem periurio metum signantes, adeoque nec conscientiis suis satis fidentes, prosiliunt in apertum, in medium populi; monent, redarguunt, inhortantur, tot tantorumque criminum reos ad do-

lorem sacco, cinere lacrymis testandum. Videas paucos, inermes, piscatores ferè, inter tot Iudæorum exercitus vnis Ierosolymæ mœnib. clausos tot efferas mentes, & barbaros paulo antè rabie in innocuo vnius sanguine ferocientes, ingenti auso, qua munitis minisq; insurgere: quin & in ipsa Synagoga, nulli Pharisæorum, Scribarum, Legisdoctorum, aut Principum parcere; nullius dignitati, ferro, comminationibus decrescere; cæsosq; gaudere, *quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Act. 5. Quę omnia vno Spiritu sancto doctore nata.

Beatos prodigiosa hac fortunataq; commutatione Apostolos! Largiatur tantùm eadem mihi Spiritus mersumq; ingentium peccatorum fluctibus in diuinæ clementiæ portum felix nauclerus deducat. Vtique ille nihil penes Deum, nisi prorrigę reæ pulvis, nisi vas inhonorum, cui

nis concupiscentia obsessus, seculiq; illecebris irretitus, inopinata ac opima felicitate arbor fiam fructibus Domino gratis perennans, quæ nec ignem, nec securim videat. Diffundarque diffluamq; illius amoribus, qui solus replere mentem pectorisq; casta potest, vt æternùm demum illius fruar, totus amoris illius Oceano immersus.

AMORIS DIVINI PARS QVARTA,

VARIOS AMORIS AFFECTVS continens.

CAPVT I.

Assimilatio Amoris prima.

Leoni. CVI assimilabo te? LEONI dilecte mi. Similis enim factus es leoni, qui

Prou. 30. ad nullius paueb t occursum: &, sicut catulus leonis

1. Machab. 3. rugiens in venatione, & persecutus est inimicos meos perscrutans eos, & qui perturbabant me eos succendit flammis: &

Isa. 31. quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super

per prædam ſuam, & cùm occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: ſic deſcendet Dominus exercituū, vt prælietur ſuper montem Sion, & eripiat vnicam ſuam, animam meam, de medio perſequentium eam. *Leo enim rugiet quis non timebit? tenebit prædam & amplexabitur eam*, & quis erit qui eruat eam? aut ſuſcitabit poſtquam quieſcens accubuerit ſuper ea? ſed & cincinni tui tamquam iubæ quæ nimbo plenæ vento ſpargũtur, vt derorent deciduis guttis frontem dilectæ prædæ tuæ, quam deſponſiſti tibi in ſanguine iuuentutis tuæ, cùm perſequerentur te populi Gentium in ira Synagogæ tuæ, & mouerent ſuper te capita ſua, & retia panderent ſuper te, *& in renabulis* gentium *transfigerent latus* tuum; & circumdarent te *canes multi, & concilium malignantium* obſideret te, *plauſerũt ſuper te manibus, & ſibilauerũt,* *Amos 3.* — *Iſa. 5.* *Pſ. 21.* *Thren. 2.*

& mouerunt caput suum super te, & inuenabilis aperuerunt mihi tot voris tot suspiriis, tot lachrymis desideratã domum dilecti mei, domum decoris tui. Cùm riderẽt super te tamquam in interitu tuo, ignorantes repromissiones tuas perennaturi fœderis tui, quas in aqua & sanguine consignabas. Tu quoque ridebis in interitu illorum, cùm *irruerit* super eos *repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit tribulatio & angustia* super persequentes me, qui *fremuerunt dentibus & dixerunt, deuorabimus eum, en ista est dies quam exspectabamus:* videamus quis rapiet eũ, & saluam faciet animam eius. Tu verò [a] *protector meus,* [b] *& merces* mea *magna nimis,* [c] *protector vitæ meæ,* & [d] *susceptor salutis meæ,* & [e] *susceptor meus,* cùm sis [f] *protector omnium sperantium* in te, [g] *à quo trepidabo? Si consurgant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me prælium, in hoc*

Treu. 1.

Threu. 2.

a *Ps.* 17.
b *Gen.* 15.
c *Ps.* 26
d *Ps.* 88
e *Ps.* 90.
f *Ps.* 17.
g *Ps.* 26

ego

ego sperabo. Vnam petii à te, *hanc requiram, vt inhabitem in domo* tua *omnibus diebus vitæ meæ in terra viuentium*; in protectione fortitudinis & virtutis tuæ; in amoris tui domo, quam felicio odio reserarunt mihi aduersarii mei, in inuidentiæ suæ cuspide. Dum cogitant per latus tuum vitam meam euellere, domum aperuerunt vitæ meæ. Nam dum persequerentur me aduersarii mei in armatura roboris sui; nec effugii iam locus supereſſet vllus, nec miserans qui tecto admitteret, reseratis præter spem valuis, à maleuolentię lancea, tam quam fortunatissimis clauibus, patuit amoris domus certum iamiam interituræ animæ effugium, propugnaculum certum; in quo non metuam omnia agmina aduersantia, non tenebrarum principes, non omnem inferorum potestatem. Exurgant licet agmina & circumdent me exercitus seculorum, non timebo cinctus tam

validis propugnaculis amoris tui, dilecti Leonis mei. Neq; propugnaculum tantùm mihi factus Leo meus, sed & delitiæ meæ, gaudium meum, lingua sua enubilans genas meas, maculas nimirum ruboris mei, erubescentiæ maculas, criminum meorum colore tinctas.

Vnicorni. Cui assimilabo te? VNICORNI, dilecte mi. Feri castitatis cornu pectus hoc dilecte mi, & inuenies cor hoc maiore ēt vulnere saucium, atq; adeò vulnus vnum. Feri. Quid metuis? vulnera mihi vita sunt, & à tuo cornu omni vita meliora sunt, tantùm confige validè in potentia virtutis tuæ, ne superficiem tantùm lege, imbelle & femineum vulnus. Odi vngues, quib. supremam cutem radas. Vnicornis es, trāsadige costas, vt immoriar vulneri. Atq; vltimam hanc animam vulnere tuo sauciam, non exspuam aut deuomam; sed molliter dimittam in cornu tui aciem, inde

in

in frontem, in oculos, in os tuum; vt imbibas hãc animam amico hauſtu: miſceatur q; animæ tuæ, aut veriùs animetur noua animatione animæ tuæ. Non repeto ſemel conceſſam, figat in domo tua habitacula ſua tẽtoria ſua, tectum ſuum, æternumque fruatur caſtis delitiis tuis, ingenti amoris tui vulnere ſaucia; cui nulla accedat medica manus, ſed dextera tua ſola, nouo ſemper vulnere beans ſatiansque hanc animam ſolo vulnere paſcendam.

Cui aſſimilabo te? TIGRI dilecte mi. Veloces enim ad currendum pedes tui. Quis leget veſtigia illorum? vẽtus ego ſum, inſequar, ſagitta qualis fugit manu: ſed & Euro & Aquilonibus ocyor. Non aſſequar ventus Tigrim meam, quæ tamquam raptis catulis æſtuat in amorem dilecti ſui, currens in odorem eius? ſequar veloces amati pedes, & ſuper velocitatem tigris celeritas eius. Cęlũ tran- Tigri,

silit, & relinquit infra se nubes, nec vis vlla assequetur illum. In vno cursu votorum suorũ, etiam cælos transilit, & supra beatarum mentium sedes figit torum suum. Ridet tela tanquam inertia, quacumq; manu tensa, ridet ventos tamquam ignauos quocumque Æolo spirante, quocũque Neptuno impellente; momento temporis cælum terrasque mariq; e post se relinquens. Sed & illud chaos ingens supra aquas, quæ supra cælos sunt, positum, metitur vno crine votorum suorum. Quis assequetur eum? votorum meorum tela fugacia, quibus insculpam amorem meum, adeoque amantem hanc animam, vt in quemcumq; se profugus receperit locum; in illum emittã votiua tela mea; nec quiescere patiar donec amplectar eum, saucium iam telo meo, ebiberimque beata iam sagitta purpureum amoris mei rorem æternùm satiandus.

Cui

Cui assimilabo te? CERVO, dilecte mi. Factus enim es tamquam ceruus sitiens, decurrens ad fontes aquarum in die desponsationis sanguinis tui, die magno & amaro valde. Non potabo te aceto dilecte mi. Dedi enim *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, & effudi *sicut aquam cor* meum *ante conspectum* tuum, dum exspectans exspecto te dilecte mi, vt sitiens bibas, & restinguas amoris æstum, quousque ludis amantem & sitiens non bibis? *idcirco ego plorans, & oculus meus deducēs aquas, quia longè factus est à me consolator conuertens animam meam.* Bibe dilecte mi & inebriare ab vbertate contriti cordis huius; satiare ab vbertate aquarum, quas dederunt oculi mei, ne fons aquæ fiat in me fons sanguinis, in amaritudine exspectationis tuæ. Sed & pone vicissim *pedes meos tamquam ceruorum, & super excelsa* deduc me *in psalmis canentem*. Nam & ego

Ceruo.

Ier. 9. Thren. 2.

Thren. 1.

Ps. 17.

Hab. 3.

Ps. 41. vt *ceruus ad fontes aquarum*, *ita* desi-
Ps. 35. dera ui te sitientis animæ solamen vni-
Can. 3. cum. Tu enim es *fons vitæ*, *fons horto-*
rum, *puteus aquarum viuentium*, *quæ flu-*
Eccl. 24 *unt de Libano*; tu *fluuii dioryx*, *& sicut a-*
quæductus de paradiso, satia hunc ceruum, & riga hunc hortum plantationum amoris tui, vt fiat trames in me fluuius exundans in mare magnum amoris tui. Sitiuit enim siti magna anima mea ad te Deum meum dilectum, fontem viuum, quando venies, & effundes amoris tui aquas super sitientia corda, & labra dilecti tui? quando effundes spiritum roris tui super seruum tuum, qui tanquam gramen matutinum clamat ad te cupiens impinguari à pinguetudine roris tui; vt tueatur se aduersum æstum meridianum, æstum concupiscentiæ carnalis, exedentem medullas ossium, ebibentem sanguinem cordis mei. Quando effundes benedictionem tuam super stirpē tuam,

super

super germen hoc hortorum tuorũ, pratorum virentium iuxta fluuium delitiarum tuarum? Numquid hæc vox tua, vox tua dulcis & amica nimis, vox amoris & dilectionis tuæ: *Si quis sitit veniat ad me*? venio dilecte mi. Et ecce me. Da sitienti huic animæ *de fonte aquæ vitæ* tuæ. Sitit n. *anima mea ad fontem* tuum, fontem viuum, quando veniam, & aperiam os meum, & hauriam *aquas in gaudio de fontibus saluatoris mei*? Nã qui te derelinquunt *fontem aquæ viuæ*, & fodiunt *sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas*, quid exspectant nisi vt exarescant siti, ac sitiant iterum? at qui biberit ex aqua quam tu dederis, *non sitiet in æternum*. Sed & *aqua* tua *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*; & *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; vt conuertantur etiam ab impetu inundationis huius, rupes *in fontes aquarum*, & petræ *in stagna aquarum* viuentium. Quæ densior rupes,

Ioan.7.
Apoc. 21.
Ps. 41.
Isa.12.
Ier. 2.
Ioh.4.
Ioh. 7.
Ps. 113.

pes, quæ validior petra corde hoc peccatorum mole oppresso? vt euanuerit planè ab hoc pectore cor omne carneum, factumq; iam sit cor meum petra & rupes, omne ferrum ac chalybem respuens, solo flumine tuo molliendum. Illabere flumen meum, vt rupes hæc soluatur in fontem, è quo bibat & satietur sitiens ceruus meus, dilectus meus; sed & satier ego fluminibus illius, vt vna denascatur aqua è flumine illius & fonte meo.

capreę Can. 8. Cui assimilabo te? CAPREÆ *hinnuloq; ceruorum super montes aromatum*, dilecte mi. Quis sequetur salientem in montibus? ego hinnulus quid verear salientem, fugientem, vt satier ab vberibus dilecti mei, vberibus lactis in montibus pigmentorum? odor enim dilecti mei, sicut odor malorum & pigmentorum omnis generis; sicut odor thuris, cypri & nardi, croci & cinnamomi, cum vniuersis

uersis lignis Libani; myrrhæ & aloës cum omnib. primis vnguentis. Quis nõ curret in odorem vnguentorum honorum? sed & ego *quasi caprea* effugiens *de laqueo*. *Quoniam vulnerata est anima* mea, seu verùs, *aruit tamquam testa virtus mea*. Quis irrorabit eam nouo rore? aut aqua salutari humectabit emarcidam tamquam imbre, nisi ab vberibus capreæ meæ? pascar his vberibus, pascar medicabulo hoc lacte vt exsanguis hæc anima mea, omniq́ue meliore succo viduata, reddatur sibi. Comederunt enim alieni robur meum, scelera nimirum & peccata dæmone impulsore nata. Quis reparabit amissus vires, nisi tu dilecte mi, noua mihi facta mater lacte nouo? ô æternùm lacte hoc pascar! *Eccl.27* *Psalm. 21.*

Cui assimilabo te? FORMICÆ, dilecte mi, quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat; reponitq́; in horrea sua, quibus. Formicæ.

bus hiemem toleret; fatigatq; laboribus diem, adeoq; noctem ipsa inimica otio. Et tu in laboribus à iuuentute tua sudorib. pasceris. en tibi dilecte mi sudores meos, primitias castæ desponsationis meæ. Quòd si non expleris aqueis; en tibi non iam illos, quos molli puraq; bibas spongia; sed riuos, & vltroneos sanguinis torrentes dilecte mi: sponsus n. mihi es sanguinis, & vestimenta tua rubicunda, sanguine lota: lauer hoc sanguine, vt & tu aspergaris meo. Nõq; ro è strato, aut mollib. febribus cælũ; è sanguine quęro, vt verè nõ ncliceat in amicas prorumpere voces, Sponsus sanguinum factus es mihi, dilecte mi. non quæro te in inerti otio; non inter delitias & hortorum amœna. In sudore vultus mei, & sudor meliore cordis mei purpura tincto, q̃ro te. Parum est sudorib, immori, modò te fruar amor meus; parũ est sanguine diffluere, modò tibi fluãt hæc flumina,

mina, saliant fontes cordis oculorũque meorum. Vt & ego formica formicæ meæ factus, seponam de die, recondamque in horrea, dum vita tempusq; sinunt, quibus in omni æternitate fruar, & tecum fruar amor meus.

CAPVT II.

Assimilatio Amoris secunda.

CVI assimilabo te? PHOENICI, dilecte mi, qui teipsum funerans, flagris, hasta, spinis, clauis, odoratissimo demũ crucis ligno, amoris igne decineratus, fœcundiore surgis semine, spontanea vt morte, sic & redanimatione singularis. neq; enim est alius extra te singularitatis prærogatiua singularis, quamcumq; demum generationem cogito; hanc de virgineo lacte & vbere humanam, illam de Patris sinu, & Spiritus obumbratione diuinam; vtramque solam & sine exemplo æternam futuram. Phœnici.

Ardeam

Ardeam & ego hic amoris tui flamma, hoc odorato crucis tui tanquam cinnamomi ligno, amoris ignibus accenso; vt decineratus hac flamma, in nouum resurgam hominem, nulla concupiscentiæ aut seculi flamma decolorandus, nulla decinerandus. Sed tua solius in amicum tibi pulueremdissoluendus. Quantis tu & ego, nobilissime Phœnix, deliciis perfundemur, quantis saturabimur? neque singularitati tuæ quidquam per me detractum erit. Nam ego & tu vnum simus: nullum vnitati tuæ præiudicium creabit præsentia mea, quæ amoris tui ignibus coalescens tibi, vnum statuet, & vnum tantùm.

Aquilæ. *Ezech. 17.*

Cui assimilabo te? AQVILÆ, dilecte mi. Factus enim es tamquam *Aquila grandis magnarum alarum plena plumis.* Non frigora, non æstum, non niues, aut Solares radios metuens; ridensq; grandines & pluuias; adeoq;

exce-

excelsior omnibus, inuictus perstas robore subnixus tuo. Sed & memini quid olim feceris Ægypto, quomodo eam contriueris tamquam conchám vngularum tuarum; & quomodo vicissim *sicut aquila* portaueris Israel, & super alas assumpseris tibi, vt solet aquila pullos suos à persequente hoste. *Deut. 32.* Quid ergo facies dilecto tuo? *Numquid ad præceptum tuum* non eleuabitur, *& in arduis ponet nidum suũ? sicut* enim *aquila prouocans ad volandum pullos suos*, & assumens & portans *in humeris suis*; sic facies omni speranti in te. Facies ei *pennas quasi aquilæ*, vt euolet ad te, & repleas in bonis desiderium eius, postquam renouaueris iuuentutem eius. *Iob. 93. Deut. 32. Prou. 23.* Qui enim sperant in te *mutabunt fortitudinem, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient*; volabunt & non quiescent, donec in sinu tuo figant tentoria sua, in terra viuentium. *Isa. 40.* ô quando euenient hæc mihi? quando reclinabo caput

caput hoc in amoris mei sinu? quãdo tẽtoria figam in domo Patris tui patris mei? quando lectum sternam tibi & mihi, vt quiescas in medio cordis mei, nouo nupe. oq; sacrato tibi Bethlehemitico stabulo? quando in hoc pectoris mei fœno nidũ firmabis nobilissime aquilarum? quando fiam præsepe tibi, cunæque ac fascia, quibus te æterno inuinculem nexu? quando! ô quãdo inter vbera tua cómorabor aquilæ meæ pullus? quãdo præda tua pascar, quam in robore virtutis tuæ, ferreis clauorum & lanceæ vngulis in cruce parasti tibi? debere mea præda. Mihi prædatio hæc facta est, mihi cælorum raptus, mihi violentata illius reseratio. fruar te ibi aquila mea, & fruar æternùm.

Pelicano. Ps. 101.

Cui assimilabo te? PELICANO dilecte mi. *Similis* enim *factus es pelicano solitudinis*, cùm paruulos tuos non tam lacte quasi ab vberibus, sed à pectore dependentes, pascas sanguine; spargens

spargens tamquam rupta violenter nube, amicũ imbrem, vt satiari iam possint, si non à lactis, ab vberibus sanguinum qui sitiunt te. Sitio dilecte mi, sitio. Quousque non perpluis merore tuo? quousque pendeo ab vberibus, vberib. exul? quousq; non potor vberibus lateris tui? en ego è filiis vnus, quos tulisti in amaritudine animæ tuæ. En ego partus tui magni, partus vltimi, cùm clamares *clamore valido* in doloribus partus tui, filius vnus; pro cuius felici enixu Patrem rogasti. Ne contine hunc diutiùs partum benigna mater; abierũt menses. Et vbera iam quasi iure meo posco, vtero tantùm beatus. Bea vberibus, sed vberibus sanguinis tui. Nolo iam lactea, vir sum; sanguinea volo, & colorari purpura, vestiri purpura, potari pu pura pelicani mei, & potari æternùm.

Cui assimilabo te? LVCINIÆ, dilecte mi. *Vox enim tua dulcis*, vox *exultatio-* Lucinia

Can 2. *tationis & salutis.* Tu gloria mea, iubi-
Ps. 106. latio mea, *psalterium & cithara* mea,
dilecte mi. Tibi cantabo canticum
Ps. 56. *in psalmis, hymnis & canticis spiritua-*
Coloss. 3 *libus,* in tubis & fistulis, in tympanis &
cymbalis, & vniuersis musicorum
generibus. Modulabor tibi in lætitia
& exultatione. Quoniam dulcedo &
musica tua, & vox iubilationis in se-
culum super omnem dilectum tuũ,
& canticum tuum in corde dilecti
Eccles. tui, *quasi mel* in ore *indulcabitur: &*
49. *musica in conuiuio vini,* sic vox modu-
lationis tuæ in auribus dilecti tui. ve-
rùm quamdiu ego in hac musica lu-
ctus, lugens carmen absentis Luci-
niæ meæ? quamdiu plangam quasi
luctum vaig niti? festiuitates meæ
versæ sunt in luctum; cantica mea in
planctum super absentia Luciniæ
meæ. & tamen ego modificator non
omninò imperitus, paruo licet cor-
Ps. 95. pore, non improba tamen voce, *can-*
ticum nouum cantabo tibi, canticum

amoris

amoris & iubilationis. Sed & tu paruula es Lucinia mea, & vox in te corpore maior, ac inter paruulos amica modulatio tua. Paruulus ego planè. Nam & scelera mea depresserunt me vsque ad profundum inferni, & factus sum mihimet ipsi grauis. ô si paruulus tantùm essem in oculis meis, & non paruulus, ah nimis, in oculis tuis! non tamdiu canerem turturis mœrentis carmen, sed mellea Luciniæ modulatione gratiora, quia puriora tibi decantarem carmina æternùm victura. Concede hoc mihi Lucinia mea.

Cui assimilabo te? COLVMBÆ, dilecte mi. *Oculi* enim *tui* sicut *columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.* Et ego turtur mœroris vnicus, donec fruar cõpare dilecto meo, quousque audietur vox mea in terra aliena, terrà deserta & inculta, terra horroris & vastæ solitudinis? aut

Colũbæ. *Can. 5.*

Isa. 38. quamdiu *meditabor* gemens *vt columba*, & attenuabuntur *oculi mei suspicientes in excelsum*, donec veneritsalutatio mea, donec fruar dilecto meo?

Ps. 54. *quis dabit mihi pennas columbæ* meæ, vt volem, *& requiescam*, & abscondar & protegar, & habitem in tabernaculo dilecti mei, & ad odorem *in loco vbi steterunt pedes eius*, & dicat mihi

Ps. 131. *Surge in requiem tuam*, hic habitabis *in seculum seculi*, quoniam elegite

Ibid. *Sonet*, rogo, hæc *vox tua in auribus meis*, vnica, *columba mea*, electa mea, desiderata è millibus. Quousque peteris me mœoribus dissolui, & in dolorum fluenta degenerare animam meam? quousq; anhelum pectus suspiria trahet gementis animæ super magnitudine delictorum suorum? semperne pœnitentis gemitus, numquam amantis lachrymæ semper singultus & confragosa suspiratio; & numquam collocutio mollior amantis animæ? semper fluent vana

Can. 2. in

in delictorum expiationem; numquam soluentur in amoris testationem? semper Magdalena pœnitens, semper Publicanus aut latro, numquam Maria, vt liceat reddere Rabboni? aut quando vox illa; *Hodie mecum eris in Paradiso*, columba mea, sponsa mea; dilecte mi, sponse votorum meorum. *Luc. 23.*

Cui assimilabo te? GALLINÆ, dilecte mi, quæ *congregat pullos suos sub alas*, & sola noscitur mater, etiam dum non videtur. Ecce ego è pullis vnus; expande alas dilecte mi, vt foueas hunc amoris tui partum amoris tui pectore; æternumque tu mihi sis gallina; vt *sub vmbra alarum tuarum* cubem *in meridie*; ibi *protegar in velamento* hoc *alarum tuarum*, & exultem in illo coram te, *sicut qui lætantur in messe, & sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia: adhæsit* namque *anima mea post te, in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas:* Galliinæ. *Matt. 23.* *Psalm. 16.* *Can. 1.* *Ps. 60.* *Isa. 9.* *Ps 62.* *Ps. 56.*

& qui quærunt animam meam, & auellere pullum nituntur à nutritio pectore, ab vberibus matris suæ, ab integumento genitricis suæ, redigantur in puluerem qui à vento rapitur, & cuius nulla remanent vestigia super terrà. Ne superueniat mihi hic raptus in interitum; ne non profuturas tibi excutiat lacrymas Ierosolyma hæc noua, anima mea. Ne fleas super eam, quia non cognouit tempus visitationis suæ. Sed trahas eam post te in odorem vnguentorum tuorum in seculum seculi.

CAPVT III.

Assimilatio Amoris tertia.

Ceto. CVI assimilabo te? CETO, dilecte mi. In cuius aluo cum Iona tuo non iam triduum, sed æternùm pascar. Nam licet Niniue in cinere & cilicio felix negato pabulo, felicior tamen ego in hac regia piscaria mea. Neque enim lugere potest sponsa, non

non sponsi filii, quamdiu adhærent sponso suo. Procul ergo cinis & luctus, vbi dilectus dilecto suo pascitur. *Benedicite* proinde *omnia quæ mouentur in aquis Domino*, quia dilectus meus inter *cete grandia* princeps factus est mihi; & refugium in die exilii mei, die luctus & doloris, die projectionis meæ tam quam abortiui, à facie terræ, & recordatus est mei. Quid? quòd & ipse, *sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*, fuerit *in corde terræ* tribus diebus & tribus noctibus, vt pararet mihi domum in secula, domum gaudii & iubilationis, domum decoris, & lætitiæ suæ magnę nimis, à seculis in secula. Largire hoc mihi dilecte mi, vt habitem in domo tua, filius factus desponsationis tuæ. Fluminum lacrymarumq; tuarum & sanguinis filius, & in æternùm tuus.

Dan.3.

Gen.1.

Matth. 12.

Cui assimilabo te? DELPHINO, dilecte mi. Qui humana illectus specie

Delphino.

ad littora noſtra exſcendiſti, quis vetet conſcendere delphinum meum. Qui dorſum ſuum præbuit peccatoribus, allectus ſuſpiriis & modulamine amantis & pœnitentis animæ? cuius cõſuetudinis auidus etiam lacrymas fudiſti, cùm videres pereuntem, quem per tot maria fluctusq; deuexeras ſaluum innixum humeris tuis? ne patere obrui, Delphine mi, piam hanc ſarcinam aberrantem ab ouili ſuo, à gregibus ſodalium ſuorum. ne patere excuti hanc prædam; ne quis dicat inſultans, Fortior ſuperuenit. Tuus ſum, & concreditum onus tibi, dilecte mi. Nauigio ferar tuo, ne qua inimica Neptunia proles tempeſtatibus excutiat ſponſam tuam, pœnitentiæ quondam, nunc amoris annulo ſubarratham tibi.

Remorꝛ. Cui aſſimilabo te? REMORÆ, dilecte mi. Quàm paruul⁹ in oculis ſeculi huius, & tamquam virorum nouiſſimus, q̃ potens interim verbo & opere

opere; diademata humilians, sceptra demetens, & tamquam falce messoria omne magnũ p̃scindens, omniaque regna & imperia ad humilem arenam deducẽs; leniq; iniecta manu sistens secundo turgidos vento; & de feliciori cursu suo prosperioris flatus fastuosos; qui ponunt brachiũ fiduciam suam? procul à me magnitudo hæc noxia. vltimus mortaliũ, adeoq; & bestiarum vltimus sim in oculis omnium, vt placeã oculis tuis dilecte mi. quid mihi proderunt iudicia humana pleno fauoris cursu explicata, si tuo fluctu in scopulos pellatur hęc nauis? quid oberunt iudicia in contemptũ, si tuo vehar afflatu? felix depressio q̃ tu extollis; infelix magnitudo quã tu deprimis. non & tu vltim⁹ virorum fuisti, & iam non homo sed vermis? sit hæc anima mea vermis in proculcationem omni transeunti, vt placeat tibi Remoræ meæ; ne fatuo lapsu ruat in interitum carnis & ani-

mæ. Veta hoc Remora mea, quæ sola potes, & veta æternùm.

CAPVT IV.

Assimilatio Amoris quarta.

Regię. *Apoc.* 21. *Esther.* 1. *Apoc.* 21.

CVi assimilabo te? REGIÆ, dilecte mi. *Structura muri eius ex lapide iaspide*, super pauimento *smaragdino & Pario lapide* strato. *Portæ illius margaritæ sunt per singulas: platea aurum mundum tamquam vitrum pellucidum; fundamenta* murorum *omni lapide pretioso ornata.* Parietes eius ex auro, de cuius laminis trabes, & postes tecti sunt per totum, sed & laquearia illius auro & gemmis variegata. Mensæ illius ex auro obryzo. *Omnis lapis pretiosus operimentum eius, sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus & onyx & beryllus, sapphirus & carbunculus & smaragdus.* Melior est fructus eius *cunctis pretiosissimis*; melior *gemmis figuratis insigatura auri*: & *omne desiderabile ei non potest comparari.* Omnes *diuitias nihil esse*

Ezech. 28. *Prou.* 8 *Eccles.* 45. *Prou.* 8 *Sap.* 7.

duxi

duxi in comparatione illius, quoniã omne aurum in cõparatione illius arena est exigua; & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Propugnacula regiæ huius meæ in gyrum turres regnorum & munimẽta seculorum *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum;* vt gloriari possim tanquam potens in auro & gemmis in potentia dilectæ regiæ meæ: in deliciis paradisi dilecti mei, glorier æternùm; vt pars aliqua fiam regiæ huius vas aliquod in honorem Regi meo, vnusque ex accumbentibus quibus transiens ministrabit dilectus meus. Felix anima, quæ calcatis spretisque mundi illecebris, domita carne & subiugum missa, perituris que contemptis opibus honoribusq;, vni decorem suum Regi suo seruat, mundo exornata & naufraga; vni dilecto suo placendi studium impendit; vni illi ornata, vni pexa & compta; vni virtutib. tamquam gemmis & auro gra-

Psalm. 18.

uida. Vt non saltus & insulas tenera circumferat ceruix; non calēdarium aurium cutes; non grande patrimonium capillis intertexatur; nō lapillorum luminibus brachia arctentur sed solidę virtutes stipent ac circumstagnent hanc animam, Regi suo, sponso suo parandam; in qua delectetur impudicitiam à castitate delectam, perfidiā à fide cæsam, sæuitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia obumbratam.

Exercitui. Isa. 2. Cui assimilabo te? EXERCITVI, dilecte mi. *Dominus* enim *exercituum* nomen tuum, *super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & super omnes cedros Libani sublimes & erectas; & super oēs colles eleuatos, & super omnem terram excelsam, & super omnem murum munitum.* At paruulus ego sum dilecte mi, & tamquam valIsa. 9. lis rorem sitiens: nam & tu *paruulus natus* es *nobis, & factus est principatus super humerum* tuum. Benedic ergo paruu-

paruulo, paruule dilecte mi; benedic conuallibus manuum tuarum, hereditati tuæ. Benedictio enim in medio tetræ cui benedixerit Dominus exercituum, nec erit sterilis in agro illius. Sed & defende hæreditatem tuam quam posuisti tibi dilecte mi. Quid enim in eam poterit omnis *potestas tenebrarum*? tu namque es Dominus omnipotens bellator... *excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram*, & tamquam *castrorum acies ordinata* robur tuum, & tu dominaberis omnium in brachio virtutis tuæ. Et ego, dilecte mi, potens in potentia tua, non verebor inimicas acies, aduersantia agmina; quoniam tu mecum es, & pro lorica mihi ac omni armatura fortium amor est. *Fortis* namque *est vt mors dilectio, & sicut Infernus æmulatio* eius: *lampades eius lãpades ignis atq; flammarum: aquæ multæ non poterunt extinguere, nec flumina obruent eam*, non deprimet eam omnis

Luc.22

Psal.46.

Can.6.

Can.8.

potentia Regum; nec minuent eam tormenta tyrannorum. Maior enim his omnibus est dilectio, & tanquam paleas ridebit illa; & tanquam folium *quod vento rapitur* illudet illis; aut tanquam arenam maris, quam indignantes excutiunt fluctus. Sis tu tantùm mihi in munimentum acies valida. Non quæro legiones, aut armaturam fortium; tu mihi, & tu solus agmẽ præualidum: tu mihi legionibus omnibus prior potiorq;. Quo vno aduersarias inferorum, carnis, & seculi huius acies, facilis perfringam. Eueniat hoc mihi dextera potentiæ tuæ.

Horto. Cui assimilabo te? HORTO, dilecte mi. Hortus enim conclusus dilectus meus mihi, hortus iuxta fluuios irriguos. Quis mihi dabit vt fruar horto meo? *Flores* enim *apparuerunt, tempus putationis aduenit, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem, & germinarũt mala punica.* da mihi

Can. 2.

inter

inter illa vbera tua dilecte mi. Quid enim volũt nisi exonerati succo plena? sed & tu vicissim descende *in hortum* meum, ad *areolam aromatum*, vt pascaris in illo, & *lilia colligas*, qui pasceris *inter lilia*. Miscui *myrrham meam cum aromatibus meis*. Comede fauum cum melle meo; bibe vinum meum cum lacte meo: omnia enim paraui tibi, *noua & vetera seruaui tibi*. Veni & epulemur, & iucundemur, & inebriemur: ego ab vberibus dulcoris & lætitiæ tuæ; tu à vino quod miscui tibi, vino ex aromatib. myrrhæ & cinnamomi, nardi & croci, quod paraui tibi. *Surge Aquilo & veni Auster; perfla hortum meum; & fluant aromata illius*, vt perfletur dilectus meus odore vnguentorum meorum, florum meorum, masti mei quod miscui dilecto meo. Aperi mihi hortum tuum tot seculis conclusum, vt pascar ibi liliis castitatis tuę, violis dulcoris tui, rosis amoris tui. Et tu vicissim malogranatis

natis pœnitentiæ, & mœroris mei myrrha; tandem q; amoris mei versicolorib⁹ hyacynthis. Fortunati dies quibus recumbam in horto delitiarum dilecti mei. Quàm feliciter iungemur ego & amor meus! ô horti, nõ iã horti! sed cæli mei. Grata animanti pomeria. Beata quæ calcantur gramina amoris mei pedibus; quæ premuntur latere. Quamdiu spe lactor nuda dilecte mi? nec fruor optatis delitiis tuis! laui me flumine oculorum meorum; tersi me spõgia sudorum meorum. Et si imperas, natabo fontib. venatũ mearum: miscebo liliis rosas, lacrymis sanguinem: vt vel sanguine referentur horti mei. An non mei quos mihi rigasti rore, imbribus, torrentibusque tuis? liceat tantùm hanc terram tam nobili purpura rigatam osculis verrere; vt, cùm non possim, nec audeam poscere osculum oris tui, satier osculo purpuræ tuæ, rosæ tuæ, lilii, violæq; tuæ.

Cui

Cui assimilabo te? VINEÆ, dilecte mi. Sed & botrus Cypri dilectus meus de vineis primogenituræ meæ, ideo cellæ assimilaui te dilectemi, & torcularibus musto plenis: duc me in cellaria tua, ad torcularia tua, vt bibam & exsatier, & inebrier ab vbertate tua, ab vberibus musto plenis. Nam & vbera tua sicut botri vineæ, & odor illorum, sicut odor torcularis aut cellæ musto grauidæ. *Respice* deinde *de cælo, & vide vineam* meã; *& perfice eam quã plantauit dextera tua.* Et fac eam vineam electam, quæ fructificet dilectionis tuæ *palmites*, & emittat *propagines* amoris tui, & det fructum suum tibi in tempore suo. Et iam vinea mea floruit, & terra dedit germẽ suum, & *cælum rorem suum*, sed & germinauerũt in ea per circuitũ mala punica: & torcular exstruxi in ea; & ædificaui tibi turrim in medio ei?; & sepiui eam lapidib. electis. Abominabiles omnes qui demoliũtur

Vineæ

Psal. 79.

Zach. 8.

tur eam. Mouebo super eos caput meum, postquam dissipaueris eos, & igne consumpseris suffodientes eam in dolo. Tibi enim vni plantaui eam vt redderet tibi vuas sponsionis suæ, iuxta omnia quæ promiserat tibi in die lætitiæ suæ, die primitiarum, die pinguiũ. Veni ergo dilecte mi & bibe, & inebriemur, tu ab vbertate pœnitentis torcularis mei; ego à fœcunditate amantis vineæ tuæ. ô inebrier vtraque felici ebrietate! & iam à torcularibus mœroris ebrius, (*potasti enim me vino compunctionis*) quid sperem nisi vinum tuum, quod *lætificat cor hominis*, & propinare mœrore languentibus soles? pota me hoc vino tuo memor verborum tuorum, *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo; bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Vt obliuiscar doloris mei; nec recorder vltrà viarum mearum quibus te ad indignationẽ pro-

Ps. 59.

Ps. 103.

Prou. 31.

uocaui;

uocaui; sed vino amoris tui ebrius, nihil iam videam, sentiam, voueam, præter hoc vinum, quod in æternum hauriam in lætitia cordis mei.

Cui assimilabo te? *Lectulo* Salomonis, dilecte mi. *Sexaginta fortes ambiũt illum ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi. Vnicuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Lectulum dilecti ambit per circuitum omnis armatura fortium, mille clypei pendent ex eo, & *millia millium* ministrant per circuitum, *& decies millies centena millia assistunt ei. Facies eorum, quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus. Lectulum fecit* Salomon *de lignis Libani, columnas eius argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* lectulum dilecti mei struxi ex tabulis cedrinis & cypressinis, quæ cariem non sentiunt; columnas eius in quadrum gẽmeas, reclinatorium smaragdinum ornatum castitatis liliis, fultum castimo-

stimonię pennis, tectum desuper verecundiæ purpura. Quid n. aliud amor tuus quàm lasso lectus, & amica fatigato quies? vt anhelũ iam pectus lassumque desiderio tui, in sinu tuo, tanquam in lectulo, inter vbera tua, tanquam inter puluinaria molliter quiescat. Desiderata quies amantia animæ, tot votis sperata; tot oculorum imbribus rigata; tot suspiriis exspectata. Veni mea quies, lectule mi, vt nullæ mihi noctes ; ãt sine te, nulli dies sine puluinaribus tuis; nullus somnus nisi in sinu tuo lectulo meo. Ibi hauriam fluenta gratiarum tua-
Can 2. rum. Ibi audiam vocem tuam, *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruosque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoaduſque ipſa velit.* Nunquam euigilem, quia nunquam euigilari velim. Semper dormiam, sed in lectulo meo sinu tuo, inter vbera lateris tui, quæ mihi reserauit amor tuus. Suauis lectus Bethlehemi-

tico

tico præsepi carior, molliqúe illius fœno dulcior, quando fruar optato accubitu tuo? quando amica dabo oscula manibus pedibusq; tuis, quãdo infigam lateri perennatura basia? quando eodem tecũ crucis tuæ procumbam lecto, eadem lancea & clauis confixus, iisdemque amoris vinculis constrictus? vt æternum configar tibi in delitiarum tuarum cælorum lecto, in quo æternum fruar casto amore tuo, æterna sociatione beatus.

CAPVT. V.

Inuestigatio Amoris.

VBI es amor meus, aut in quẽ demum locum te abdidisti fugiẽs? num in inuiis & in inaccessis rupibus? nulla præcipitia amori sunt. Transcendit æthera ridetq; montes, rupesque tamquam dexteræ suæ pilas. Et non omnis rupes amori planities est, perpetuumque ac placidum æquor,

quod

quod calcãdum se præbet hilari malacia? Num in speluncis & cauernis terrę commoratio tua? en me in speluncis medium. Nam quid in his me terreat? tenebræ? dies est omni elementario maior, vbi tu es amor meus. Imò, Sol ille firmamenti magni quid aliud est quàm palmaris teda, aut è digitali lucerna festuca modica, aut deniq; morientis candelæ emortuũ languidumq; lumen, si componatur luci tuæ amor meus? Solitudo? nulla solitudo est, vbi tu es amor meus; ingensq; adeo solitudo est, vbi tu non es, amor meus. Da hominum millia, da ingentes exercitus. Regumq; potentiæ insanas ostentationes, ingens solitudo est si tu abes amor meus. Da etiam orbem qua patet vniuersum, cælumq; ipsum; immensa, si tu abes, solitudo est. Omnia enim sunt, vbi tu es; & nihil, vbi tu non es, amor meus. Nam & extra te nihil est, cùm omne bonum in te sit, & in te solo;

nec

nec vlli⁹ acceſſione boni quidquam accedere poſſit tibi.

An in denſo & imperuio nemore? inter implexos virgultis ſentes, vepres, ſpinas? nihil inuium amanti eſt. Nam quid hic vereat liuores? quos cùm tu pro me tuleris, non beatus ero ſi rependero, & aſſimiler tibi? an è ſpinis vulnera? felices ſpinæ. rubeam tantùm hac grata dilecto meo purpura; fiatq́ue corpus hoc vulnus vnum, vt aſſimiler ſponſo meo, cuius veſtimenta è torcularibus ſynanogæ & preſſura gentium rubricata, & ſanguine tamquam imbre grauida, omnem vincunt purpuram. fortunata purpura amoris mei ſanguine tincta. Beata torcularia quorum beneficio natet hic amans animus in hoc felici ſanguinũ flumine, in hoc fortunato ſanguinum balneo; quo poſt languineos ſudores, nobili egrediatur veſtitus purpura, in occurſum purpurati dilecti ſui.

An

An in annosa nemoris huius aliqua quercu quæ secula referat? ene go felicior iam Milo. nam si in hoc amoris conatu secer medius, nõ beatus, qui disruptis obicibus, diffractis costalibus repagulis, cor totũ quod latebat abditum, sacrem tibi? vt fiat quercus hæc tanquã domicilium & cubiculum genitricis dilecti mei, in quo solido vinculatus amoris nexu vigilans dormiat, dormiens vigilet; quiescatq; compare iam suo fruens molliùs, foueatur calidiùs, alatur tãquam reginæ sponsæq; suæ manibus alumnatus teneriùs, habeatur tamquam osculo dilectæ suæ pignoratus suauiùs. Amica quercus tanto hospite nobilitata. Optatus torus omnib. votiuis puluinaribus gratior, omniq; regia mollior culcitra, omni Salomonis lecto illustrior clarioque. Perge tantùm sponse mi. In secreto conclaui tuo venare amantes, nullis nec tormentis, nec morte difiungendos.

An

An in odorata viola casti struxisti pudoris lectulum? suauiter hic cubabis amor meus, omniq; pluma molliùs decũbes. Nam ex voto meo (da qui solus potes) ego è violis vna. Tu testis huius animæ. *Velle adiacet mihi,* & inexplebilis casti pudoris sitis. Exple qui potes, è casto hoc voto castã sitim, famemq; castam, vt totus iam inenodabili castimoniæ nexu, innexus tibi, exhorrescam ad extranea vbera, aliena cubilia, peregrinum sinum. Neque tu iam vltrà aberres ab hoc violæ tuæ toro, sed æterna, accubatione bees amantem. *Rom. 1*

An inter amicas tibi rosas, spinis armatus castra metaris? quid mihi noceant spinę, qui maiori lancinor vulnere? nam quæ sæuior spina fuga dilecti mei? quæ crudelior amoris recessu, quo me excordem reliquit, vnico vitæ meæ spiramine adempto? potest hac spina inueniri acerbior, quæ exanimam hãc animam reliquit

sibi

sibi, meliore sui parte fruſtratã? quid ego nunc verear ſpinas? nam quid reliquum eſt quod adimant mihi? ignobilem aliquem ſanguinẽ viduatum vita? quid mihi cum hoc ſanguine qui nobiliore nudatus iaceo? fluat ille & totis fluat venis, ſpinis hiſce, tam quam ferro & clauo eductus, tantùm redde quem meliorem ademiſti, cùm teipſum ademiſti. Nã quale cor amantis eſt, ſi quem amat, abeſt? vnum cor amantis amatus eſt. & non hoc ademiſti qui teipſum ademiſti mihi? fallitur qui quærit aliud. Reſeca. Nec aliud quàm amati cor reperies. Quod quicumq; excoſtato pectore ſurripuerit, non is miſerum & exſangue relinquet corpus, meliore parte ſui exutum? & quid aliud amor meus es quàm cor quo viuo? ô viuam tibi, moriar mihi! magis etiam ſeculo huic nequam. Nolo vitã extra te. Nec cor aliud volo quàm te. Abdicaui enim me iam diu corde meo,

meo, vt fruerer tuo. Seca, & vide. Nam quod meum erat, tradidi tibi. & si accuratius scrutatus fueris, reperies illud in abdito rosarum tuarum, spinis tuis circumsessum, & non iam amplius meum, quod vltronea & libera donatione tuum est. Ills implexum hęret cor meum donatitio iure tuum. Nam hic non esse certum mihi est. Semel possessione illius me spoliaui, spoliaui æternum. Semel lubens volensque vniuersum jus meum in te trāstuli, transtuli æternū. nil reuoco. nec possum. nec, si possim, velim. sed nec tu reuoca donationem semel datā. semel te mihi mediū inter spinas dedisti purpura vestitū. quid succidis donationē, & rosa sua viduas destituis spinas? nolo sine rosa spinas, adeoq; nec sine spinis rosam. marcescit sine illis rosa. & non omnis rosæ è spinis suis vita? nō languet & moritur sine illis rosa? tu mea rosa es, sed immersa spinis vi-

tæ meæ. Hinc rosam inter spinas amo. Euanescit solitaria. Sed & ego è rosis vna sum, sed obsessa spinis, in capite tuo iam olim mortuis, vtri melliore tua viuerent quàm vita sua; nobiliore tua, quàm purpura rubercnt sua; præstantiore tuo tingerentur, quàm natiuo succo suo.

Fors inter lilia pasceris amor meus. Aut in palma strauisti tibi, vel in lauro deniq; sedem fixisti. En me è liliis vnum. Pascere dilecte mi, pascere. Nam quid peregrina quæris lilia domesticis diues. Domestica mea sunt. Non tibi sacraui illa sanctiorib. votis? Quòd si inter palmas tentoria fixisti; en tibi palmetum nouum, quale vere nouo, cor meum. Hic tibi inter pacis & victoriæ symbola humilis straui culcitram; sed castam, electam, puram, ipsoq; nitore suo ad dulcem, & non medicatum prouocãtem somnum, ad amicam curisque & suspiriis exutam quietem prolectantem.

Sin

Sin inter æternas laurus locum delegeris, habes me ex his vnam, quæ nec imbres, nec grandinem, nec metuam fulmina, tuitione tua contra quæcunque aduersantia munita, perenniq; virore aridam duramq; hiemem inimicæ manus vincens.

An in niuibus & glacie commoratio tua? si primum, conuoluo me niuibus, vt amoris tui calorib. resoluar tecum, fiatq; ex vtroq; fons irriguus vnus, scaturiens saliensque in vitam æternam *fons hortorũ, puteus aquarum viuentium*; vt clamem cum sponsa, *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meũ, & fluant aromata eius.* & fons hic meus paruulus, oculis tanquam nubibus & niuib. natus, crescat *in fluuiũ maximum, & in aquas plurimas* redundet. Tu n. solus es amor meus, qui nõ niues tantùm amantium oculorum, sed & cordiũ conuertis *petrã in stagna aquarum*, & animorũ *rupem in fontes aquarũ*. non audiã querelas voces tuas,

Can. 4.

Esther. 11.

Psal. 133.

Ier. 2. *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderũt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Sed ex illorũ numero cõsurgam, qui promissorio verbo tuo diuites, exultant locuplete

Ioh. 4. sponsione tua, *qui autẽ biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Illis sociatus ad quos fortunata hæc erunt verba:

Apoc. 7. *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum; & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Si verò glacie cingeris, totoq; glaciali aut Norico ambiris Oceano ego me illi immergam totum. Quid enim illius verear aut exhorrescam frigus, aut pertimescam glaciales fluctus, concretosque fluctibus fluctus, tanquam montes mõtibus superpositos, cùm tu in illis domicilium firmaueris ignis meus, immortali die, ac noctibus amoris ardens flamma? quo vno liquescant cæli ære fusi, omnisque chalybs fluat cera. ô colli-

quescam

quescam & defluam totus, vt permistus tibi, vnũ tecum statuam flumen, congelascam tecum totus, vt vna enascatur glacies ignib. tuis fœta grauida que, flammisq; tuis fota, vt non vltrà duo, sed simus vnum. Nolo nomen nouæ coëlementatæ huic rei de meo dare. tu huic flumini & Oceano nomen indes, & nomẽ vnum; vt sub nomine hoc vno cælesti, res latcat vna, res diuina, & vna tantùm.

Quid si inter leones nouus decũbas Daniel? blandæ iubæ, molle stratum, suaues linguæ, enubilate quidquid hic macularum, vt placeam dilecto. Quid si inter tigridis catulos à partu recentes habitatio tua? quid tigrium aut leonum verear rugitus & rabiem, nec sine dente & sanguine minas, si tu ibi es amor meus? etiam in struthionum procumbam cubilibus, inter crocodilos & basiliscos, omnisq; generis gentiumq; serpentes. Nam quid mihi noceant toxica,

cùm habeam te omni toxico theaticam potẽtiorem, omni veneno mithridaticum validius. Nulla venena sunt vbi tu es amor meus. Imò venena omnia antidota & medicabula pharmaca sunt, adeoq; mella & vina sunt, vbi tu es amor meus. Propina æternùm hoc mihi venenum vinum factum, bibamq; æternùm hęc toxica mella nata, vt æternùm poter his delitiis amoris manibus temperatis.

Verùm si in elephante te abdideris dilecte mi, quid rei mihi aut spei reliquum est? ludus mihi hæc bestia est, & catulus dominã suam suauiãs, si tu in illa te abdideris aut pro domo belluã delegeris. Sed & Eleazar ego, vt secem domicilium hoc medium, in quo tota sepeliar anima. felix monumentum, si tu in eo mecum habitas amor meus Nulla n. mihi iam hic best a, cælum est. Vt neq; olim Ionæ, cũ in piscis aluo volueretur, mœror aut indignatio, aut belluinũ monumentum

mentum fuit; alioqui triduum non minùs q̃ in receſſu reconditæ alicuius ſepulturæ, illo concoquendo inter ceti viſcera ſuffeciſſet: ſed diuinæ poteſtatis domicilium quoddã fuit. Eueniat hoc mihi certiore tecũ ſociatione, amor meus. non queror de loco, cælum mihi locus omnis eſt, ẽt in cuiuſcunq; belluæ inteſtinali volutabro, ẽt in immortali inferorum flamma, ſi æternùm in illis amico nexu coniungar tibi, nullo æuo ſeparãdus. Ita voueo. Audi qui potes, qui tuorum ſoles vota, amor meus, Deus meus & omnia.

CAP. VI.

Indagatio aberrantis animæ.

FATIGOR. ô quando te videbo amor meus? quando optatis fruar amplexibus? quando infigam caſti amoris oſcula? ô amor! ô baſia! ô quãdo? laſſor. nec inuenio quẽ amat anima mea. circuiui plateas, obiui fora, prata vicina & remota, innataui fluminibus, enauigaui maria, luſtraui

opaca nemorum, ardua montium, plana vallium, & nusquam Amor.

Can.8. Quousq; assimilaris *capreæ hinnuloq; ceruorum, super montes aromatum*, & fatigas amantem amor meus? & neelabereris aut improuidum falleres, negaui somnum oculis, omni iam oculatior Argo; & nusquã amor. scrutatus sum thesauros terræ, an fors in abdito opulentiarum latitaret amor meus. euerti cistas nummulariorum, scrinia diuitum, auarorum clausta, orbis mercimonia; & nusquã amor. Ingressus Principum aulas, vidi atria aulęis grauida, laquearia auro cęlata, gemmis variegata, & nusquã amor.

Vbi es amor meus? quousq; fatigas amantem? quæsiui in omni hominum genere: an fors te in medio magnorum consiliorum, eruditorũ librorum, inter sublimia ingenia, & solo cælo minora, inter amœniores musas, inter literatos parietes abdidisses amor meus; & nusquam amor.

An

An te in pharetra recluſiſſes & armamentario, inter arma & exercitus, inter validiſſima orbis propugnacula, inter victorias & ouationes, inter prouinciarum & regnorum triumphos; & nuſquam amor. Obiui cum negotiatoribus vaſtiſſima maria, terrarum vltima; & nuſquam amor. Fatigor, & laſſi ſubſidunt artus. Sed & cælum, & aëra, remota propinquaq; nemora & rupes, prima extremaq; ſiderib. loca, fontium receſſus, fugitiuasque fluminum lymphas, prodigioſosque marium receſſus, prærupta denique planaq; omnia, impleui clamoribus, nec quidquã retuli præter exſangue guttur, emortuum pectus, exſuccida labra. Quouſq; ludis amãtem amor? emorior. nam quis locus reliquus? in altiſſimo maris habitas? ego adnatabo, & cum Paulo tuo plen° enatabo flumine. An in ceto tentoria tua? fugio Niniuen, vela mihi in Tharſis, vt cum Iona eadem excipiar aluo. Cin-

geris inimico agmine? perfringam etiam inermis armatas acies. Nulla nam q; castra, ferrum nullum amãti imperuia. Hæres in Pilati aut Annæ domo, oneratus catenis, constrictus compedibus? adsum amor meus. Nã quid mihi Phariſæorũ odia, Romanorum fasces, Herodis risus? nihil inuium amanti. Minantur flagra, coronam, crucem? ô quando hæc tecum amor meus? imò, quando pro te amor meus? quando ludemus Phariſæorum oculos, Romanorũ manus, vt ego in columna ſim pro te, ſub corona pro te, in cruce pro te? quando manib. pedibusq; ſed & latere tranſfixus clauis tuis, lancea tua? Felicem animam vicaria demutatione nobilem! ô quando! non admittis vicariũ amantem in flagris, corona, cruce? tormentũ tormento accumulas, augesq; pœnam. Leuior n. mihi pœna in me, quàm in te amor meus. Nam cùm te ardẽtiùs amem me, acerbio-

ra

ra mihi sunt tua, flagris meis. Imò, cũ nolim ego esse Ego, sed Tu; quidq; d Tu pateris, patior ego: & iam duo patimur, Tu & ego. quid sæuis in vtrũque? ego si patior, patior vnus. Tu si pateris, patiuntur duo. cur duo, si vnus explere potest? nisi fortè & Tu pateris in me. ô fiat! nam si me patiente Tu pateris, non iam duo, sed vnus sumus. nec iam amplius Ego, sed Tu, & tu solus. ita fiat amor meus.

Verùm non semper flagra, nõ semper crux & spinæ. Vbi ergo nunc es amor meus? execraris thesauros, & diuitum rides gazas, voluptates fastidis & dignitates, abominatio enim hæc apud te. Vbi ergo, vbi es Amor meus? an inter paruulos & stulta mũdi? contemptibilia enim elegisti, & cũ paruulis sermocinatio tua. Sed & delitiæ tuæ cum illis. Aduolo ad paruulos. At ecce iacent oẽs transfixi telis, & nusquam Tu. Nihil hic namq; p̃ter tela video. An fors Tu latitas in

hac cuspide? frustra conor euellere, vt videam an in illa acie te reperiam amor meus. Quid agam? nullæ vltrà sagittæ pluēt cælo? an exhaustæ pharetræ tuæ omnes? ecce nubes. redeūt fulmina & immista fulminib. tela. Etiam sensi ferrum. Quid euolas, & extremam feris cutē, nec vltrà? iterum dolor. Sed & iterum nimbi, iterum inter fulmina tela. Et iam seriò telū, & saucius illo. Sed repercussum à costis. Infortunatę costę quæ exclusistis amicum cordi telum. ego præscissem & non excostassem pectus, ne iaculo non esset locus? & iam locus est, feri amor meus. Nam si in hac cuspide, nec alibi es, nolo aliud pręter hoc telum. Quòd si nusquam cadit, nisi inter paruulos, en me in cunis & fasciis infantem. Feri amor meus. Nullæ in infante costæ quæ resistant cuspidi, nulla durities quæ excludat ferrum.

CAP.

CAP. VII.

Venatio amantis animæ.

VBI es amor meus, vbi es? vbicunque enim es, meus es. non in pānis, in virgineo lacte & vbere, in vinculis & flagris, in cruce & clauis, in lancea & sepulcro te mihi dedisti? an reuocas donationem? semel te dedisti, semel translata possessio est. testes habeo cælum & terram donationis tuę. Quid? quòd testis mihi mater, & cælestis Pater? meus es. Quis me deturbet à possessione semel data, tot testibus firmata? ante donationem tuus eras, meus non eras; donatione facta, tuus non es, meus es. Dabis cōpensationem? nolo illam. Nolo vendere vineam meam, nolo vendere. Quicumq; mihi ademerit, Iezabel mihi est, timeat canes. Procul hæc infausta nomina ab amoris domo. Et tamen fugis. Quousq; tandē? permitte te capi, aut tu me cape. beatus

tus si cepero, beatus si me ceperis. in-
iicies vincula? innectes compedes?
fac quod minaris, & captus es ô A-
mor meus, tuis ipsis constrictus com
pedibus.

At tu etiamnum fugis. Insequor
fugientem. vbi es? quid silentio & fu-
ga amantē perimis? si in siluis & spe-
luncis latitas, ego te indagine capiā.
Si in mari es, ego retia tendam. Si in
fluminibus, ego hamo insidiabor. Si in
pergis transilire de loco in locum, de
aquis in arida, de siluis & montibus
in valles & plana; ego terram totam,
maria omnia vno circumdabo reti.
Non effugies amor meus. Aut quò
effugies? in infernum? etiam infernū
penetrabo. Quid mihi oberūt flam-
mæ, qui maiore ardeo flamma? quid
mihi noceat frig⁹, cùm ardeam igne,
quem nullum extinguat frigus? quid
minaris tormenta? maiora me tenēt.
Quid aspectum dæmonum? cæcus
sum: nihil video præter te vnū. Non

effu-

effugies. Etiam in inferno explicabo retia. Quòd si te hic cepero, nullum vltrà locum quæro. Ignis, flammæ, frigus, tormenta, dæmones cælũ mihi sunt, si ibi te fruar amor meus. Quòd si ex inferno te proripueris, antequã illud circumduxero reti, sequar. Captus es. nam quò effugies? in terram? tota meis tenetur retib. In aëra? nunquam elaberis. si fueris ardea, ego falco ero. si te abdideris in concha, ego aquila ero. Sin ad minores te receperis aues, en retia. meꝰ eris. secabis aëra? sequar secantem. transuolabis nubes? sequar transuolantem. transcendes forsan cælum? sequar transcendentem. meus es. nam quò iã fugies? extra cælum? extra cælum nihil est: effugii locus nullus est. Quòd si tamen pergis ad immane illud vacuũ, non sequar. Nam quis me ibi locus, vbi locus nullus est? & tamẽ, si tu ibi es, locus aliquis est. Aut sit non alius, quàm tu ipse, in teipsum inuolabo.

Quòd

Quòd si negat inexorabile vacuum, dabo me lachrymis, solabor fletibus, nec finem faciam, donec profundam flumina. non & maria? in quibus natet hæc amans anima, donec & ipsa soluatur in lacrymas, in noua maria, quæ coniuncta aquis quæ supra cælum sunt, fugitiuo fruãtur amore suo, supra cælos latitante. Felices aquæ, si in iis mergatur amor meus; gratæq; naufragia in hoc amoris mari magno sint enataueris, sequar natantem. nec insequi desinã, donec irretitũ te meis videam cassib⁹, satiemq; tot votis desideratis amplexib. tuis, amor meus.

Mittes fors ad sanctos? nihil mihi cum sanctis, te volo. Mittes ad Angelos? quòd mihi ministri spiritus? Dominum volo. Mittes ad Doctores? nescit amor litteras. Nõ sunt hæ plagæ quibus caperis. Nam vt habeam omnem eruditionem, quòd mihi, si te careã? doctus ille, & ille solus est, qui te implagatum tenet. reliqua omnis

doctrina

doctrina inscitia est, doctrina nō est. Mittes ad Patriarchas? non amo hæc magna nomina. Et quò mihi holocausta, oues & boues, quò altaria & mensarum nidor? tu solus odorem exples. Mittes ad Martyres? nullus mihi sanguis sine te, nulla vulnera nisi à tua cuspide. Illa si dederis, amo martyres; illa si negaueris, odi martyres. Mittes ad virgines? nō amo casta littora, nisi naui vectus tua. mittes ad Apostolos? non satior denunciatoribus, tu solus explere hāc famem potes: reliqua mihi omnis sponsio ieiuna est, & fastidiē dis stomachi nausea. Mittes ad matrem? nō abnuo. Meus n. es, si mater hæc mea est. Neq; abesse ab hac matre diu i⁹ potes. & ne absis, ego cauero. inuolabo in vbera. qd ni iā possum in materna hæc vbera? puer ego sum, & adhuc amoris infans; quid verear casti amoris vbera? aut quid hæc fugiāt infantilia labra? Quid facies; vbera hæc mea sunt, cō-

menda-

mendatione tua, dono tuo. Quòd si moram traxeris, occupabo vtraque. Quid facies vberibus exul? accurres? captus es. & iam possideo hęc vbera, excludes? mea sunt. quid me conaris deiicere possessione mea? antè liberũ erat non dare. nunc cùm dederis, qd retractas? hæc violentia nõ est? quòd si pergis, tẽdam in ipsis retia vberib⁹; vnoq; reti te, Matrem, meq; claudã, ęterno beatus carcere: nec dimittam te tenentem vbera Matris. Captus es amor meus. An intra ipsa te condes vbera? captus es. Cum ipso Matris te exsugam lacte. quid facies vbi exsuxero? meus es. Nec effugii iam locus vllus. meus es. nec desero hæc vbera, donec cũ hoc virgineo Matris lacte, te totum suxero, vt nullus mihi iam cibus sit extra te, te pascar vno, te nutriar, te lacter, donec totus transmutatus fuero in te, nihilque reliqui sit veteris mei: vt non iam ego hic viuã, sed tu? neq; ego iam ampliùs ego, sed

tu sus

tu sis totus. ô quando! quid tam diu frustraris amantem? ô venias! nolo lactari diutiùs sine te. Tu mihi vber super omnia vbera lactea, tu mihi lac sitienti & arescentibus faucibus, lac nouum. O sitis! ô potus! frequens me exanimet hæc sitis, vt redanimet hic potus sæpiùs, imò æternùm exanimet, vt redanimet æternùm hic potus.

CAP. VIII.

Votum animæ amore sauciæ.

QVID times anima? vulnera? Amoris sunt. & quid metuis vulnera, quæ amare debes mortem, sed ab amoris ferro? quando ô amor cõfodies hanc animam? tota vulneri tuo patet. Quid trepidas? seca & fode. Minaris? ignauæ minæ sunt, quas non sequitur sanguis. Ergo seca. O quando! Langueo & languore solo vis me cadere? puellare mortis gen?

vir-

vir sum, vulnere tuo cadam. Quamdiu orabo pro hoc vulnere? nolo invulneratus viuere, nolo ex hac lucta integro abire corpore. Aut vis me mori sine vulnere? dura conditio! & tamen morior, si non vulneras; viuo, si vulneras. Quis credat? est quod dico. In vulnere hoc vita mihi; sine illo mors mihi est.

Quid manum retrahis amor? quádiu suspensum, & inter ignauas minas hæret ferrum? paratum, sed & discinctũ pectus offero. repete vulnera. Neque n. vno satiari possum. Ingens namq; pectus fero, nõ cadit vno vulnere; repetenda sunt. Vt fiat vulnus vnum, pectus totum. ô fiat! & experire, tune feriendo, an ego ferendo, lasser. Quid si lasser? ne miserere. Feri. Solum hic misericordiæ genus est, ferire; solum crudelitatis genus est, parcere. Nè parce. numquam amor parcit. Sin parcit, nõ iam amor est; quantum q; parcit, tantum abs-

more

more recedit. Gaudet n. amor vulneribus, vulnerib. pascitur, lactatur vulneribus, crescitq; nouis, interit ocio. Non mihi eueniat hæc timidæ & ignauæ cessatio dexteræ.

Quid inclamas pacem, & retrahis ferrum? odi pacem. Bella volo, & amoris bella, in quib. vulnera condũtur vulneribus; in quibus ni vulneri vulnus superaddas, perit qui patitur. Nolo hanc pacem ingloriæ mortis prænunciam. Vulnera volo æternæ vitæ symbolum. Tantùm perenna hæc amor vulnera, vt æternùm viuam tibi. Et confige me vno tecum ferro, vt confixus tibi, æternùm non mihi, sed viuam tibi, immoriar tibi. Ita voueo. Audi votum amor meus, vita mea, spes mea.

Si gloriam & cælorum opes, si in æternis gaudiis iungi peterem tibi amor meus, eratne causa, cur aut tu negares, aut ego desperarem post tot amoris pro me vincula, verbera; sudorum,

dorum, lachrymarum, sanguinum balnea & flumina? post tot vulnera purpureo lacte distēta? post tot prouocationes & sponsiones vberiore etiam largitione locupletatas, post prodigum inuitatum? *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* post languentis ab amore exprobratoria verba? *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* post reseratam in plenum pectoralem fasciam, vberaq; ne retecta. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filii vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Post illud ab effuso amore lugentis, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Poturamnè tam profuso muneratore non sperare summa? nunc cùm nihil præter vulnera petam, non durum est vulnera negari? oscula si peterem, negaret amor? vulnera peto, sed ab amo-

Matt. 11.

Isa. 5.

Isa. 49.

Matt. 23.

iis

ris ferro & iaculis, quibus confixus anhelũ pectus vulnere tuo sauium traham tibi amor meus: & ab ingenti non inglorio vulnere tuo amicam hanc animam deuomam in sinum tuum. Tuq; illam, vltimaq; mei tot votis desideratis manibus liga tuis. Tua claudantur dextera amica hæc lumina, cuspide tua fatiscentia. Tuis componatur manibus hic vultus, oraq; extremum spiritum in patulum latus tuum diffundentia. Concede hoc amor meus, vt viuam iam non ego, viuam tuus, tibiq; meliore iam vita vulnere tuo æternùm donatus.

CAPVT IX.

Suspiria animæ amore languidæ.

VBI sum? & tu vbi es amor meus? Langueo, vbi est lãguoris vnica medela mei? Langueo. Quid mihi cũ aceto, aqua, vino? non reuocatur anima

anima liquoribus, nisi teipsum felici metamorphosi vertas in acetum, aquam, vinum. Quid mihi cum frictionibus manuum & frontis? nisi tuis manibus fiat hæc frictio, nulla proderit frictio. Quò mihi reseratio fasciæ pectoralis, nisi tu amor meus inuoles in hoc pectus? Lãgueo. Quid arteriam tentas, aut obseruas animã lento grauem suspirio? tuo solius felici pulsu, animatione tua redit hæc anima. Langueo, & iam frigus obsedit artus. Quid admoues ignem? nullus ignis frigus hoc pellet, nisi ignis tuus, quo incalesco solo. Langueo, vbi es qui solus leuare languorem potes? inimica languẽti mora. Morior, & tu moraris? permitte saltem vt in sinu moriar tuo, vt inter amata vbera vltimam emittam animam. ô sinus, ô vbera testes languentis animę vos colo, vos veneror; accipite hanc animam, & recõdite exspiratam in hoc amoris sepulcro. An relinquitis insepultam?

pultam? Durus amor, negabis terram mortuo? at mihi terra nulla est, præter vbera tua, pectus tuum. Huic terræ conde animam, & da hoc solamen mortuo, qui negasti viuo.

Langueo, & iam vltimũ spiritum traho, & tu abes. Vbi sunt miserationes tuæ? nam quę hæc commiseratio deserere amãtem? ô veni. nam si morior te absente, quid inscribam monumento? hoc vnũ, sine vulnere iaceo, Languor condidit, amor pemit. durum mortis genus. ô si generosiùs, nec tam in gloria occumberem morte! vulnera saltem si ostentarem aduerso pectore: si toto iugulo excepissem interritus tuum ferrũ: si sanguinem hũc agnoscerem in tuo balteo, caderem lætus nobili confossus dextera. Nunc langueo, & sine vulnere morior. Ignauum mortis genus. Verũ vbi es, vt vel perimas, vel reficias? ô si veneris! ego te dimittã, aut elabi patiar? antè moriar. Verùm abeun-

dum tibi. duc me tecum, comitabor quocũq; terrarum, per dura & mollia, per aspera & lenia, per prærupta & plana. An refugis hoc onus? nullum pondus amãti est, nec grauatur amãs amante: ideoq; leue onus amans est. imò nullũ onus amãs est; alas habet, & pluma leuior amans omnis est. sit rupes, si amat, quauis festuca leuior est. sit mons, si amat, quouis puluere leuior est. sit immane plumbi ferriq; pondus, si amat, quauis penna leuior est. Largire ô amor amorẽ hunc mihi: quo fultus, quidquid hic magnũ & arduum, discutiam vt pilam, diffiem vt festucam vẽto raptam, vt celocem tempestatibus actam; omnibus minis, tormentis, fortunæ pollicitationibus, opum, honorum, gaudiorumq; ostentatione, sponsioneq; maior. Nam quid potest esse graue amanti? nimbi, grandines, tonitrua, fulmina, terræmotus, tempestates quocunq; vento natæ, arma, hostiles acies,

acies, & quidquid terrorum profudit orbis, cæli, inferiq;: plumea sunt, & arundine mapalia rustica manu texta, cùm in amantem inciderint. Nihil hic Herculeæ manus quacũq; clauа aut cæstu armatæ, nihil prodigiosum gigantum robur, cùm in amantem incurrerit. Goliades omnes cadent hac amoris funda, hoc silice ab amoris torrentibus nato. Imple ô amor amore hoc tuo pectus. Nã qd me tuam lorica hac indutus, clypeo tectus, armis cinctus, propugnaculo vallatus? nõ si quidquid vsquam extra te validum fuit eritq;. Annue ô amor æternùm meus, vt & ego æternùm sim tuus, donatione, vendicatione, amore tuus, æternùm tuus.

CAP. X.

Eructatio animæ amore ebriæ.

CÁlix tuus *inebrians quàm præclarus* est amor me⁹! dulcis super mel & fauum. Dulce vinum! dulces epulæ! *Ps.22.*

animæ delitium meæ! quid Tãtalico amantem fraudas hiatu? quid ostentas, nec satias? & q̃ gloria est fallere amantem? sitio. quousq; nõ leuas miseram sitim? quousque non recludis cellas promas? nouercalia claustra, q̃ tot clauib. recondũt amoris vinum! quis referabit? tu solus potes Amor meus, tu solus restinguere hãc sitim. vereris fortè, ne, si reseres claustra, totis faucib. hauriam nociturum vinum? nulla hic venena sunt, nullus liquor noxius. sed & quò plus hausero, felicior ero. ẽt ebrietas hic amata felix, si non dimittit amãtem sobrium. apage hinc improba sobrietas. malè sit tibi cum ista maturitate, cum ista seculi prudentia. Quid mihi laudas temperantiam? sacrilega mihi in hoc potu omnis moderatio est. odi hanc & te, procul ab amoris penu.

Cara tu tantùm ante oẽs ebrietas, ne déseres amantem. dulce amoris vinum, grata vasa, amica penuaria tam

vinet

vinei nectaris recondi.oria. An non vbera magis grata? verùm vasa hęc & penuaria quid sunt aliud, q̃ lactei vini vbera distenta, quæ a terno fluxu beant amantẽ? quid sunt aliud quàm cellæ promæ ambrosii liquoris fęcũda ebrietate potatorem suum exhilarantes? dulce gaudium, dulce ebrii pectoris iubilum. Perennet tantùm hæc ebrietas, æterno damnata exilio in fœcũda sobrietate: inimica hæc amori est, inuidentia & odio grauida. procul ergo in vltimas terras, in Gelboë montes regio steriles maledicto procul ab arentib. amantis faucibus: intercludit n. spiritũ si accesserit propiùs nouercali sua & auara parcimonia. Nolo hanc amor meus, nolo. mors n. mihi in hac temperãtiæ olla, mors mihi est. vinum volo, & vinum tuum germinans virgines. Reliqua namq; mihi vina, toxica sunt, nõ vina. tua volo. nec alia. illa q̃ propinasti insipientibus, cùm exclamares in in-

sipientia tua, cùm tamquam potens crapulat⁹ à vino eructares ebria hæc verba sapientiæ musto plena. *Insipientibus* locutus sum, venite, comedite panem meum, & bibite vinũ quod miscui vobis. ecce me. negas prudẽtibus panem, negas vinum tuum? habes hic ex insipientibus vnum, quid retrahis pocillarem manum? ego ille sum insipientiũ insipientissimus. cui ex voto meo nec mica inhæret salis aut si quid inhæreat prudentiæ seculi, detestor hoc momento, & renuncio; sed & abdico me terra cæloq; testibus, exuoq; omni hac possessione improbæ sapientiæ.

Quid ergo reliquũ, nisi vt pascar pane tuo, inebrier vino tuo: sed vino ℣ manibus tuis miscuisti amor me⁹. longè ab hac mistione prudẽtiæ manus. odi enim mistionem, seculi sapientia temperatam; amo insipientię mistionem, stultitia seculi temperatam. hanc mihi largire amor me⁹,

vt

vt nihil mihi iam sapiat extra insipientiæ tuæ vinum; nihil ambiam, sed & nihil deuectem, nihil deuomam aliud. Rideant seculi prudentes. satis mihi numerari inter insipientes tuos, quibus panem dedisti, miscuisti vina. beata mistio. beatior potatio. beatissima ebrietas insipientiæ huius musto grauida. Perennet hæc mihi mistio in æterna potatione, vt dies iam nulla, nox nulla vacua sit ab hac mistione, potatione, semperq; inebrier hoc vino manib. tuis temperato. Nam, si rectè memini, tu in hoc vino natas amor meus. felix anima q̃ potas hoc vino! sed vbi ludis in hoc vino amor me⁹ in lumo, medio, an in infimo poculi? scio qd faciã, ne effugias hæc bibula amãtis labra, exhauriã funditus totũ. ac nec guttã transibo imbibitã, ne fors fallas amantem. misce amor, misce, & eternũ misce vt reddã ex aduerso voces, bibo amor, bibo & æternùm bibo. in insipientia

dico, misce insipientiæ manib. vt bibam insipientib. labris; sed seculo insipientibus, sapientibus tibi. Annue hoc amor, & æternùm misce, vt æternùm bibam, inebrier æternùm hoc secularis insipiētiæ vino, cęlestis prudentiæ vino, vino tuo amor meus. Nam quò hæ voces tuæ, comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi, si vinum negas? sin ex vero ꝓuocas. ecce ego dilecte votorum meorum, ecce ego; da mihi poculũ ex vino condito, & mustũ malorum granatorum tuorum. da mihi fauũ cum melle tuo, vt bibã vinum cum lacte, myrrhatum vinum, quod miscuisti cum aromatibus tuis: nam & manus tuæ distillauerunt myrrham, & digiti tui pleni myrrha ꝓbatissima. da mihi hoc vinum, amor meus, vt inebrier ab eo, & replear vt phiala vino distẽta. & replear ab vberibus tuis. ab his enim inebriari volo, & in iis delectari iugiter: tu hoc potes, & potes solus

amor

amor meus; & inebriare me ab vbertate vberum tuorum; & torrente voluptatis tuę potare sitientem hanc animam. Largire hoc amor meus, & largire æternùm.

CAP. XI.

Ablactatio amantis animæ.

QVis mea absynthio liniuit vbera ne æternùm lacter? inimica manus? nihil agis. fortiùs etiam imprimã hæc labra. an terrere putas? ne felle quidem, non pugnis, fustibus, sanguine. apage Medæa manus. non sunt hi nutritii digiti, sunt perimentes. & tamen quò amarum hoc lenimen? mea sunt hęc vbera, mea sunt. q̃ manus æmula hostili tinxit liquore? nequidquã terres quisquis es. Amor tinxit? nunquam amor felleus est, si amor est: aut si est, amor non est. melleus n. amor meus est, vineus est, lacteus est. Sed crescit ętas, eunt anni, q̃ ablactationẽ suadent. cùm esset parvulus, dabantur vbera. nunc vir es. turpę virum ludere in vberib⁹. puer

ego sum,& è cunis infans. Quamdiu cunæ,tamdiu vbera. Quid? quod & extra cunas vbera? quid? an semper puer? semper. nolo vir esse, ne exulẽ ab vberib. ô sim æternùm infans, æternùm excipiar amoris mei genib⁹, æternùm lacter amoris vbere; æternùm pendeam ab amoris collo, dulce pignus. æternũ infigam basia, nec diuellar ab his genis. totus pulcher es amor meus, totus roseus, melleus, vineus, lacteus, pulcher totus, & macula non est in te. Quis ergo me separet à te? occidi possum, diuiungi nõ possum. sed etsi occideris quisquis es qui hic aduersum loqueris, fortius etiam post mortem amabo, sed & lactabor validiùs. etiamne mortuus? mortu⁹. & quidem tenaciùs ac perenniùs. verùm quando tandem in virum? iam dixi, odi viros. Quid mihi cum virili toga? puer sum aut quò mihi virilis purpura? fascias amo. Sed quãdo viri mores? fabulæ. Nisi efficiamini sicut

paruuli

paruuli. ex his paruulis esse volo, ne excludar ab amoris sinu, amoris vberib. & qd vis? non cælũ lacteum est? imo nõ totum, quantũ est, vber vnũ est, & amoris vber? at quousq; pueri mores? iã dixi, nolo viri. nam qd mihi cũ prudentia seculi? inimica amori est. nolo hanc prudentiã. stulta elegit amor meus: hanc stultitiam, extremamq; fatuitatẽ amplectar vt pedisseqũ Domini mei, sponsi mei, amoris mei. null⁹ ergo mihi molestus sit hostili ablactatione. æternũ iuuat vberare. Non pudet mamarum? pudeat viros. puer ego sum. nescit infans erubescere. Sanè nusquam, nunquam minus q̃ in vbere. & quis vspiã puer erubuit vbera, vitę suę pignora? ergò cum puer ego sum, & infans totus, nemo accuset vbera, nemo diuertat. mea hæc sunt, quãdiu puer sum, plena diuite succo. at sẽper puer ego sũ. semper ergo hęc vbera distenta lacte nouo, q̃ non æstate, non frigore desit. Sed paulo modò cessa ab his vbe-

ribus. nihil agis malesuada nutrix. scopulus hic est multis infamis naufragiis. quicunq; deserit, perit.

Nam quid dabis infanti, si subtrahis vbera? solidiorē cibum? infans est, cui necdum dentescunt gingiuæ, dabis vbera, sed extranea? non agnoscit hæc infans, & refugit aliena. dabis lacte plena inimico, viperino lacte, lupino lacte? quis hoc infantem matet nutriat, & amoris infantem? veniūt hæc consilia ab æmulis Paradisi vberibus, à noxiæ arboris incentore; qui insidiatur paruulis, si quem fortè inuenerit longiùs ab vberib. aberrantem. ne credite, ne fidite, dum blanditur, venenat; dum ludit, naufragio proxim' es. fuge hanc malatiā. tranquillitas hæc via ad interitum est. nā intus decumani latēt fluctus, vētiq; & sæua murmura, Æolusq; totus incubuit in latus. Fuge hunc iacētis elementi risum, in altissima serenitate merget. venatur hostis, fallitq; frustis & pomis. fugite paruuli hanc tene-

rioris

rioris animæ decipulam. Cauete ne improuidos abducat ab amoris vberibus. Mors est extra hæc vbera, & mors æterna. Quid inuides vberibus inimica manus, & retrahere crudelis niteris ab vbere infantem? mater hic est, protuberãt vbera, & infans ego. quid interiacis barbaram manum, & perimẽtia misces fella, omni aconito & toxico nocentiora? vita in his vberibus mea est, & in his solis patere me hanc in his errantem quærere. quòd si negas vbera sitienti, permitte tamẽ ieiuno hoc ore animam inter amati vbera deuomere, vt inter hęc domicilium sibi statuat tenero satianda lúdo; donec per amicos lacteosq; vberum syphones, aut felicia illorum sudatoria nectareo rore plena, admittatur, non ad atria modò, sed ad intima magnæ domus, ad amica scrinia opum cælestiũ reconditoria, quò dilecti concorporata cordi, summique Solis illius lumine illustrata, vitaque iam non sua, sed illius spirans, æternum

nàm fortunatiſſimis fruatur vberib⁹ indiuiduo firmata nexu. dulce matri pondus, ab vberib. infans. grata collo ſarcina ludentis inter oſcula. nihil matri durum: nõ ſine ſomno noctes, vigilesq; dies. non inter capillos, & in materno vertice inerrantes manus. amicus error matri. nõ conculcatus ſinus vteruſq; pedib. grata conculcatio matri. neq; n. laſſatur amor, non ſẽtit tot optata votis, tot diurnis nocturnisq; ſperata ſuſpiriis. parata pẽdent vbera materna diſtenta ſucco, ad ſolem & lampada porrigenda, nõ amico magis hauſtu, quã largo benignoq; fluxu. fruar tantũ ęternum his vberib. vt ſemper ibi mater, ſemper hic ſit infans. ſemper ibi vbera cęleſti rore grauida; ſemper hic ſugens fortunata prærogatiua vberibus inhærens. fluite mea vbera æternũ, vt lacter æternum. exſilite generoſo ſaltu lactei mei fontes æternum, vt bibam æternum. currite mea flumina æternum,

num, vt proluar æternum. Exsurgite mea maria æternum, vt felix natator lacteis hisce fluctibus immergar æternum; donec hoc rore, fonte, flumine, Oceano permistus, colliquescam totus, & in amati transeam vbera animamq;; nulla iam parte meus.

CAP. XII.

Colloquium amantis animæ primum.

QVIS ego sum, & quis tu es amor me?? & vnde hoc mihi vt veniat Dominus meus ad me? an delitiæ tuæ esse cum filiis hominum? ô dies! æternum luceat hæc mea dies! ô nexus! æternum stringe. ô basia! æternum iucundate. ô potus! æternum inebria. ô amor! æternum vulnera, excæca, posside. cara mihi ante omnia vulnera, optata cæcitas. & tu æternum fluе sanguis meus; æternum innecte vincula. Nolo sine vulnere & vinculis viuere. Ite oculi. Nolo videre. Cæcus omnis Amor est. Beata cæcitas,

tas, felicia vulnera, fortunata vincula! tãtum ęternate. ô viuam! sed in te amor meus. aut si in te non possum, moriar. dulcis amor, dulce refrigeriũ animæ; æternùm hoc me nectare foue. melleus amor; æternùm hoc me melle pasce. saccareus amor; æternũ hoc me saccaro conde. vineus amor, æternũ hoc me vino pota. Sũauis amor; quidquid extra te est, fel meum & indolata scabrities est. Nemo me tangat prętęr te vnum; nemo iungatur, præter te vnum. ℣ si me audisamor meus; diffluamus vterq;, exinde miscebimur in vase puro tanquã vinum nouũ in vtres nouos. aut, si magis probes, faciamus ex anima & corpore hoc materiam vnam; quam tu amor meus informes tanquam anima, possideas tanquam anima; imperes tanquam anima; vt nihil iam sapiat, agat, expetat hæc materia, nisi à te sua anima. Quòd si non probas consilium hoc meũ, largire mihi cor tuum, fruere meo, vt vbicunq; ego

fuero,

fuero, tu sis; vbi tu fueris, ego reperiar. Sin tibi iniqua hæc videtur, & infra iustum pretium commutatio; cogita amorem nõ intueri pretium, nec æstimare rem amatã à seipso, sed ab amore. Iucundus amor. æternùm diffluam tuo gaudio. tanquã musica mihi es in conuiuio vini. O cantus animæ, mentis iubilatio, omnisq; voluntatis mellea modulatio, æterna mea musica; mea iubilatio æterna.

Igneus amor. æternùm ardeam & colliquescam hoc igne. nolo refrigeria, nolo ventulũ, nolo flumina, fontes, maria, q̃ extinguant hũc ignem. ardere volo, & ardere æternùm. procul seculi flammæ, animarum pestes. tu animæ solius flamma. amo te mea flamma. vterque tantum exuramur. hac flamma, vt simus vnus cinis. quis disiunget cineris huius arenas?

Fons dulcoris amor meus. In ore tãquam mel indulcaberis, nectareũ flumen, ambrosium mare. quid vltrà hic hæreo dubius? mergã me in hoc

mari,

mari, in hoc fonte & flumine, vt exſatier hoc potu totus. Nimis mihi minutum poculo bibere a page hanc ruſticam ciuilitatẽ. Nimis mihi philoſophicum manu bibere, odi Philoſophiam ſuperſtitionũ condimentariam. ore toto, plenoq; bibam corpore; vt non iam labris tantum, ſed omnibus bibam membris. Beata potatio! ęternum merge, & exple. Quid vereris ne tantò plus ſitiam, quantò plus hauſero? cõſilium in manu eſt. Da te mihi totum, nec vltrà ſitiam. Quia extra te nihil eſt q̃ ſitire poſſim. Ita fiat Amor meus. Æternum me te toto pota æternum ſatia.

O verè Sol magnus Amor meus, Quò mihi Luna, & ſidera hæc minora? quò faces? tenebræ mihi ſunt ad Solem meum. Illumina me Sol meus amoris tui radio. Nec hæc extima tantum; ſed intima irradiet lumen tuum, detenebret intus. Nam ſi vſquam tenebræ, hic ſunt. diſpellẽ has

amor

amor meus, & denocta hanc animã. Odi n. noctem, & diẽ volo, sed diem tuum. nam elemẽtarius hic dies, nox est, dies non est. à te namq; solo dies est. tu n. solus Sol magnus es. verùm quid faciam in hoc Sole? nix ero, liquescam totus. cera ero, diffluam totus. herba ero, amburar totus. aqua ero, & potentibus radiis attrahar totus, noua iam exhalatio, vapor nouus. Ita eueniat mihi. Sed ad se rapiat vaporem hunc omnem Sol meus, vt coniungar illi, & fiam portio aliqua magni corporis illius, parua licet, felix tamen magni Solis portio.

Et sanè certum mihi nullum finem facere precibus, lachrymis, sanguini, donec totus transmuter in te Amor meus. ita auidus omnis amor est. nulla satiatur prærogatiua, nulla expletur muneratione. Nisi totum amorẽ possederit, possideaturq; ab illo totus, exulare se putat ab amoris domo. Tu scis amor meus, qui amoris

omnis

omnis incentor, adeoq; largitor es. q. si importunior ego, & intempestiu⁹ interpellator molestior sum, ignosce te doctore importũitas hæc nata est. tu n. eme dullata hęc ligna, has arẽtes arenas amoris tui rore respersisti. atque hinc nati illi vapores solaribus tuis radiis educti. Tu inflãmasti hoc ferrũ depulsa natiua glacie & frigore q. obsederat artus. quid miratis si ardeam? tu dormienti huic animæ & in sõpore suo emortuæ calcaria addidisti. q. d miraris currentẽ & trahentem anhelum pectus suspiriis plenum? tu languentẽ & in igneum quodam deliquio fatiscentẽ abduxisti à perituris erexisti ad sublimia, ad magnarũ cælestium q; rerum cogitationem, quid accusas si non cõtentus mediocrib⁹, sumã petam, nec exsatier nisi à manu tua? nõ extranea fugit infans vbera, & peregrinũ auersatur sinum? & nõ infans ego adeoq; primarũ cunarum infans, & tu mater es, omniq; tenerior

rior matre? tu hoc mentis meæ saxũ, eremi huius petram, amoris tui virga percussam, vocasti in fontes aquarum & vis iam stare fluxũ, aut repere quasi per sudatorios syphones, aut decidere tanquã per lenta stillicidia? non possum non manib. tuis fluminatus aquã fundere cęlo reponendã donec in circũstagnato altè circumsecus balneo natem cũ dilecto meo, lauerq; purpureo illi aqueoq; oculorum meorum rore. Ardeo. & ardoris tu causa, dilecte mi. tu flammas iniecisti, & flumine iam tuo tactus vror vndiq;, cineriq; proximus nihil habeo per vota nullo restinguẽda flumine, nullo nisi Oceano amoris tui magno. Patere proinde amor meus æternũ me iungi tibi. quã amica miscebimꝰ colloquia, dũ fluent vicissim verba omni saccaro & nectare dulciora? dũ liquesceret mens animusq; sole tuo; succedentq; sacratis pedibus manibusq, tuis impressa basia purpureo sudore tuo lacrymisq; meis signata;

gnata; succedēt audaci conatu oscula lateri tuo infigenda, imbre purpureo tuo oculorumq; meorum flumine madidata? dulcis sermocinatio, & qualem æternùm optē animæ meæ. Concede hanc mihi amor meus, & concede æternùm.

CAP. XIII.

Colloquium amantis animæ secundum.

VEni dilecte mi, veni de Libano, & ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis. Vox n. tua dulcis, & facies tua decora nimis, oleum effusum nomen tuum. Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Ideo desertis patrib. & matribus, opibusq; deliciisq; seculiq; honoribus cucurrerunt in odorem
Can. 1. vnguentorum tuorum. *Botrus Cypri dilectus meus* de vineis primogenituræ meæ. Ideo cellæ assimilaui te, dilecte mi, & torcularibus musto plenis. Vbera tua fragantia vnguentis optimis, felix qui commorabitur in illis deliciis affluens, innixus super dilectum suum.
Can. 2. *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.* Quis colliget mihi poma vt pascar illis, & dicam dilecto, fauus distillans fructus tui super mel & fauum. Surrexi & circuiui ciuitatem, per vicos & plateas quæ-

sui

siui quem diligit anima mea. Quęsiui & non inueni. Quæsiui nocte, & ecce caput meum rore plenum, & cincinni mei guttis noctiũ. Etiam madeo torus. Quis excutiet hunc rorem inimicum tibi, & irrorabit me nouo rore aurore tuæ? quis dispellet has tenebrarum guttas, & perpluet me guttis nouis vineæ tuæ, vineæ florentis, vineæ dilectę ex millibus? Verum quamdiu quæram & non inueniam te? quamdiu vocabo & non respondebis mihi? ô vos qui transitis, non vidistis amorem meum? qualis est dilecte, amor tuus? amor meus candidus & rubicundus, & macula non est in eo. Caput eius aurum optimum, comæ illius sicut elatæ palmarum, oculi sicut columbæ super riuulos aquarum, genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs, labia eius lilia distillantia myrrham primam, guttur eius sicut vinum optimum dignissimum ad potandum; collum eius sicut monilia fabricata manu artificis; manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Talis est dilectus meus, amor meus, electus ex millibus. Vos nunc dicite mihi, num quem diligit anima mea videritis. Paulum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum nec dimittam donec introducam in domum meam, in intima cordis mei. Ibi tentoria fixi tibi, dilecte mi, ibi paraui tibi lectum,

ctum, amor meus, lectum floridum stipatum corollis vernantis autoræ, casti lectum pectoris.

Egredimini hic quotquot amatis amoiẽ meum, dilectum meum, sponsum meum: & videte illum in diademate, quo coronauit illum in die desponsationis illius in die lætitię cordis mei. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid agis, quia dilectus tuus dormit? ipse dormit, sed cor illius vigilat, & insonuit iam vox illius cordi meo, dilecta mea, soror mea, sponsa mea veni, ecce coronaberis. Ecce venio dilecte votorum meorum. Quàm pulcher es dilecte mi. Oculi tui sicut speculum sine macula, genæ tuæ sicut fragmẽ mali punici, sicut vitra coccinea labia tua. Pulcher es amor meus, pulcher vt luna, electus vt Sol. Ego me tibi, & tu te mihi amor meus. Quis me separabit

Rom. 8. à te? *Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* liceat hic mihi vouere cum forti illo assertore tuo, *Neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia separabit nos à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

LVDVS

LVDVS
IN
SECVLI AMOREM
INIMICVM
AMORI
DIVINO.

I.

Non esse seculo fidendum.

QVID *mundus fragili confisus purpuræ,*
Triũphos memorat fallaci murmure?
Quæ spondet muneræ vanæ potentiæ,
Vix sunt crepundia rudis infantiæ,

Vt Aquilonibus raptata folia
Dum miscent fatua inter se prælia:
Sic pede celeri decurrunt gaudia,
Et mundi fugiunt sperata præmia.
Quod rosa & viola decocta Solibus,
Quod caltha & lilia proiecta foribus,
Quod fœnum validis protritum pedibus;
Hoc mista gloria est amoris ignibus
Plus pulsis nubibus, plus fide fluctibus,
Plus vento validè dispersis niuibus,
Et plus fugacibus crede volucribus,
Quàm carni fragili, vel vanis opibus.
Plus fide Oceano, plus Aetnæ montibus;
Et plus mortiferis Berosi fontibus;
Plus cælo nubibus saxa vomentibus,
Quàm sponsionibus mundi fallentibus.
Plus crede rabidis leonis dentibus,
Harpyis efferis dirum frementibus:
Plus venenariis fide serpentibus,
Quàm mundi spolus blandè ludentibus.
Quid celsa sequeris? doloso culmine
Mors ludit credulos fallaci stamine.
Quid longa memoras? in ipso limine

Inani

Inani corrues lusus imagine.
Nam quidquid seculo mortali nascitur,
Momento seritur, momento conditur;
Momento panditur, momento clauditur;
Momento erigitur, momento labitur.
Quid fidis robori? & saxa corruunt,
Et manus marmora prædura diruunt.
Quæ seclis steterant, scintillas metuunt.
Et imbres, chalybem ferrumq; diluunt.
Quid annos numeras? momento rapimur.
Quid genus, proauos? momento morimur.
Quid opes? iudici sistendi ducimur,
Et forsiam ignibus damnandi cingimur.
Quid arma exacuas spe plenus optima?
Sudata incudibus Aetnæis intima,
Mundiq; robora quæcumq; maxima,
Opima corruunt inferni victima.
Quò Abner, Amasa, bellorum fulmina?
Quò Saul, Ionathas Iudææ lumina?
Momento maxima procumbunt culmina,
Dum cæli sæuiunt prædura examina.

Quid arma proderunt, cùm nudi sisti-
mur?
Quid minæ & animi? inermes cogimur,
Permisti purpuræ sagoq; voluimur;
Et tamquam cineres flammis commoli-
mur.
Et tamquam furfures molis conteri-
mur:
Fauillæ similes igni conuoluimur.
Et tamquam pluuia cælo depellimur:
Pœnisq; immitibus terræ recondimur.
Vt aqua nubibus, sic terris fundimur,
Vt alga vilior, sic leues spernimur;
Vt pilæ cælitus mortales ludimur,
Et tandem validæ fornaci exurimur,
Flammarum stipula semper viuen-
tium,
Prunarum cespites semper vrentium,
Pœnarum fomites non morientium,
Dolorum pabulum semper torquentium.

II.

Emendationem non esse differendam in mortem.

QVò fata properant prædura & aspera?
Quò tela exacuunt, diraq́, & effera?
Cùm tanta demetunt falce praepropera,
Non sceptra recolunt, non auri pondera.
Non pareunt matribus, non caro pignori;
Non regnum in posteris votiuo semini;
Non auis, proauis, non formæ, aut generi
Non sceptro aut opibus, non celso muneri.
Quem non conterreant præcelsa numina
Quæ tanta conterunt calcantq́, nomina,
Et ferè eruderant primæua germina?
Funesta degimus sic inter limina.
Cùm mundi deprimunt velluntq́, lumina,
Vt vento paleæ deflantur flumina,

Superbi vertices altaq3 culmina:
Credas è nubibus contorta fulmina.
Quid vita? vitrea quod gemma pensilis:
Et scena & niuibus, fumoq3 similis:
Ac vix ficulneis æquanda poculis:
Aut vultu tenero qui ludunt oculis.
Cùm telum admouet mors flecti nescia,
Et dolor occupat corda tepentia,
Quid mens tum deliget factorum conscia;
Et è scelerib us pœnarum prascia?
Dum tempus patitur, locusq3 fletibus,
Pulsemus Dominum densis gemitibus.
Non vota fileant accensa precibus,
Et tamquam mediis nata caloribus.
Ne serò doleas, cùm nullus luctibus,
Non locus lacrymis, sanctusq3 moribus:
Non pœnitentiis, votis, virtutibus,
Nullis suspiriis, curis, muneribus.
Cùm reus steteris, flammis furentibus,
Pœnisq3 innumeris circùm frendentibus:

Nequid

Nequidquam lacrymis seris cadentibus,
Aut à suspiriis votis calentibus.
Pro mundi illecebris, æternis ignibus,
Flammisq; sulphure & pice natantibus,
Quis vel fornacibus semper ardentibus,
Vel prunis subtici velit candentibus.
Quis mundi inanibus captus crepundiis
Aeternùm exulet lubens delitiis;
Aeternùm naufragus cælorum gaudiis,
Aeternùm numinis possessus odiis?

III.

Perire quidquid hic magnum est.

QVò minæ Antiochi iraq; regia?
Vel quò Sennacherib, castraq; Assyria?
Quò dicta Rabsaces blasphema & effera?
Lingua Nicanoris fallaxq; dextera?
Quò potens Tullius verborum flumine?
Rerum Demosthenes diues molimine?
Quò primus Latio Crispus acumine?
Vel Plato cælitus edoctus numine?

Fœcunda Origenis quò nunc açumina?
Vel Afri rupea tonantis fulmina?
Quò flecti Calari ignara pectora?
Aut Hos Ifortia tot annis robora?
Quò Phœnicopteri Apici fercula?
Aesopi patina, murrhina vascula?
Quò Alcibiadis, Torquati pocula?
Natansq; Assyrio cruore crapula?
Fœcunda Alcinoi quò nunc pomeria?
Hortiq; pensiles, Luculli prædia?
Euripi, & montibus subducta maria?
Vel quò Polycratis fortuna Samia?
Quò Curi machina pendens Icaria?
Quò Scauri vitrea scena & marmorea?
Et Midæ fercula quò Regis aurea?
Corona Marsyæ sperata laurea?
Quò Caii Lollia gemmato munere?
Elata Arabico Poppea funere,
Auro quæ solita iumenta sternere?
Gemmas Cleopatra consueta bibere?
Vt bulla labitur quidquid hic nobile;
Vt flos, sic defluit quidquid amabile.
Vt vmbra deperit quidquid optabile.

Nil

Nil firmum cogites, nil terris stabile.
Nulli te proaui, non parta gloria,
Non opes eximent forma, scientia,
Non honos robora, prudens solertia,
Non menti aut corpori concessa gratia.
Virtus sed vnica terrores adimet,
Sola te gaudiis æternis inseret,
Hæc vna gloriam pœnasq; dirimet,
Beabit præmiis, tormentis eximet.

IV.

Intutam esse honorum & dignitatum prærogatiuam multorum exemplo.

QVid auro, honoribus, sceptris extollimur?
Non pares nascimur, paresque morimur?
Non pares media iuuenta tollimur?
Et cursu propero fortunæ pellimur?
Non pares sanguine, pareque tempore?

Non pares anima, paresq; corpore?
Non pares pretio, Christi q; vulnere,
Fortunæ impares si simus munere?

Quò Regum Salomon primus prudentia?
Vel Samson Dalilæ captus dementia?
Aut Hemor fatua lusus fidentia?
Vel cunctos superans Xerxes potentia?

Quò Cyrus pallio cinctus coccineo?
Quò Physco rutilans theristro gemmeo?
Quò splendens baltheo Darius aureo?
Vel Dives habitu nitens purpureo?

Quò Crœsus insolens fidens diuitiis?
Quò dirus Hannibal ferox victoriis?
Quò magnus Macedo, Persarum spoliis,
Nec orbis maximi satur exuuiis?

Quò Sylla madidus ciuili sanguine?
Et Cæsar gladiis raptus ceu turbine?
Quò tectus Africo Pompeius cinere?
Vel Crassus Parthico delusus puluere?

Quò Nero, Claudius, Heliogabalus?
Galba, Caligula, Otto, Vitellius?

Quò

Quò Verus, Pertinax, Valens, Magnentius?
Balbinus, Maximus, Piso, Leontius?
Quò Reges reliqui, tot magna nomina?
Quò duces, Principes, terrarum Numina?
Momento citiùs clauduntur lumina,
Nec parcunt generi Parcarum stamina.
Aeterna cogites ignes & præmia,
Aeterna contue flammas, & gaudia
Alterna delige. Stat parta gloria,
Stant pœnæ: & nemini patent effugia.

V.

Infelici plurimùm Regũ magnorumque exitu purpuram sceptraq; docemur contemnere.

QVi Reges numeras terrarum lumina,
Qui duces inclytos bellorum fulmina:

Funesta prospice regnorum culmina,
Incerta purpuræ fallacis omina.
Quò Remus, Romulus, Sextus Tarquinius?
Quò Titus Tatius, Tullus, Hostilius?
Vel Ancus Marcius, Seruusq; Tullius?
Priscus, Herculeus, Drususq; Manlius?
Quò Gracchi, Melius, Seianus, Marius?
Quò Cato, Regulus, Carbo, Licinius?
Ruffinus, Cassius, Brutus, Antonius?
Gallus, Copronymus, Phocas, Alexius?
Siluanus, Lentulus, Constans, Sertorius?
Quintillus, Didius, Probus, Demetrius?
Carinus, Tacitus, Leo, Valerius?
Macrinus, Commodus, Carus, Procopius?
Comnenus, Nicias, Celsus, Constantius?
Agis, Miltiades, Zeno, Decentius?
Traulus, Leonidas, Syphax, Aëtius?
Conon, Themistocles, Dion, Isacius?
Achilles, Hercules, Hector, Numantius,

Tigris

Tigranes, Phocion, Pyrrhus, Britannicus?
Aurus, Michael, Thomas, Philippicus?
Theseus, Pausanias, Glycas, Isauricus?
Lucullus, Lepidus, Lysander, Lucius?
Manfredus, Vitiges, Massa, Parthenius?
Cabrera, Stilico, Silanus, Flauius?
Philippus, Datames, Brocas, Ablauius?
Omnes domestica, aut hostili corruunt
Manu præpropera ferrove intereunt;
Aut duro exilio, aut veneno concidunt,
Morteq; inglorii funesta pereunt.
Hæc sceptris gloria datur q; purpuræ?
Hæc auro & opibus; fatali murmure
Hostili vt posteros funestent vulnere:
Elati barbaro & cruento funere.
Morte pars minima pacata concidunt;
Morte pars maxima funesta concidunt.
Qui tela nesciunt, mœrore pereunt;
Vel lenta sanie, tabeq; corruunt.
Quò tendis animum? cùm magna memoras,
Enses, exilia, venena præparas;
Funes, equuleos, secures comparas,
Multorum odia, pœnasq; innumeras.

Hono-

Honores prouocant? ignes præpediant.
Voluptas allicit? flammæ te terreant.
Opes te pertrahunt? pœnæ te retrahant.
Aeterna prouidi tormenta metuant.
Qui sceptra numeras, recense vulnera.
Qui bella & aquilas, prospecta funera.
Qui castra & oppida, metire tempora.
Et post hæc ignibus damnata corpora.
Tam magno luitur, quod breui transuolat,
Vix plumas contines, & corpus euolat.
Quod flammis vritur momentis auolat.
Has flammas sapiens æternas recolat.
Momento purpura sceptraq; transeunt.
Momento gloria, formæq; pereunt.
Nulla te postera tormenta deserunt,
Nusquam carnifices, flammæq; deerunt.

VI.

Diuitiarum contemptus æternitate proposita.

QVid regna sequeris per alta maria?
Quid mundi prodiga captas donaria?

Non

Non tamquam noctibus sudata somnia,
Sic ista defluunt, & cinis omnia?
Quid domos exstruis, latasq; prædia?
Non illa corruunt iuuenta media,
Vt actor fatua fias comœdia,
Vel sæua nobilis scena tragœdia?
Quid vasta nemora, quid agros cumulas,
Quid ædes ædibus regnorum æmulas?
Vt venti tumidas dispellunt nebulas,
Sic anni has perimunt terrarum papulas.
Quid hortos pascuis fonteisq; accumulas?
Quid rupes montibus valleisq; vinculas?
Vt has posteritas enarret fabulas,
Fortunæ vomitus, funestas crapulas?
Quid lacus, flumina, torrentes numeras?
Quid castra & oppida, sceptraq; memoras?
Cùm Cræsos opibus Midasq; superas,
Non ad supplicia flammasq; properas?
Quò satiscentia frumentis horrea,
Lassata fructibus grata pomœria,
Pressaq; pondere prædiues area,
Spondentq; tempora tot votis paria?

Autu-

Autumno mustea quid torcularia,
Quid nouo grauida lacte mulctralia,
Vel quid gementibus tectis granaria,
Non seclus acuunt, non tribunalia?
Non tela exasperant minarum igneas?
Aut non incendia pascunt sulphurea?
Dira materies ligno umpicea,
Infelix posthuma flammarum palea:
Hac nocte aut citiùs tolletur anima.
Quid spes tunc proderunt votaq; inania?
Succedunt comitibus tormenta immania.
Luenda, ô nimiùm magno! vesania.
Cùm solus ignibus lingua potabitur:
Cùm flammis, sulphure, pice cœnabitur:
Stillansq; digitis gutta negabitur:
Nec quidquam precibus fusis donabitur.
Non animi reduces, non vita dabitur,
Quæ cursu properans cita dilabitur:
Quis flammis miseros cinctos solabitur,
Cùm nullus lachrymis crimen piabitur,
Quibus tunc viribus mens roborabitur,
Cùm tantis ignibus nec gutta allabitur?
Cùm sola pietas cælo locabitur?

Sola

Sola delitiis cæli rorabitur?
O nimis fatua vecorsq; vanitas!
Cuius tam fragiles leuesq; semitas
Infelix sequitur momento æternitas;
Flammisq; indomita dira crudelitas.
Infausta ô nimiùm mundi felicitas,
Fallaxq; nimiùm amœna amœnitas,
Tam breui labens, fauaq; æternitas
Succedit miseris. ô dura æternitas
Cùm gutta mediis negatur ignibus,
Negatur mediis aqua fornacibus,
Aeternùm medii pruinis ardentibus
Voluntur miseri flammis vrentibus.

VII.

Fuga eorum quæ seculo sperari possunt, iudicio & pœnis propositis.

FOecunda diuiti quid dabunt prædia?
Sudata noctibus dieq; studia?
Quid ingens domino parta pecunia?
Quid fasces purpura, sceptraq; regia?

Cùm

Cùm telum iugulo mors cita admouerit;
Iudex sententiam suprema tulerit;
Igneſq; indomiti flammaq; steterit;
Speſq; omnis animam salutis fugerit?
Cùm saeua aeternitas mundo insonuerit,
Summiq; iudicis vox intonuerit;
Et omnis validus mente exhorruerit,
Terraq; pedibus subducta fuerit?
Tortorum millia cùm circumsteterint,
Teſteſq; innumeri parte omni cinxerint;
Spem fugae aut veniae cùm cuncta clauserint,
Mentemq; crimina fictaq; impulerint?
Cùm flammas oculi furentes viderint,
Igneſq; dæmones flammaſq; admouerint,
Cùm picem, sulphura, tormenta senserint,
Quicumq; cælitus damnati fuerint?
Quid auri proderunt congesta ponderа?
Quid Regum, Principum, magnorum munera?
Hortiq;, pascua, fonteſq; nemora,
Inter saeuissima tortorum verba?
Quid Venus pocula, mensaq; dederint?

Quid

Quid noctes lusibus insomnes iuuerint?
Cùm cantus gaudia, risusq; euenerint,
Et pòst perpetuæ flammæ succesſerint?
Quid longa series annorum faciet?
Quid genus, proaui, formaq; pariet?
Quid sceptris, purpuræ, regnoq; eueniet,
Cùm ignis efferus æternùm sæuiet?
Quid magna proderunt scripta volumina?
Lassata sæpiùs qui docta limina?
Quid versus nobiles librorum lumina,
Si feruet ignibus æternis anima?
Quid plena pulpita verbis sonantibus,
Farta sententiis altè tonantibus,
Densata lacrymis ora manantibus?
Si membra validis torquentur ignibus?
Quid ampla imperia lassata cædibus?
Quid lata maria defessa cladibus?
Quid campi & oppida diuulsa ciuibus,
Cùm præda fueris æternis ignibus?
Quid numquam spolia sitim sedantia,
Hostili sanguine prata natantia,
Cruore immerito regna sudantia,
Cùm loca senseris flammis furentia?

Quòs

Quò belli dubius quò ferox exitus,
Infestis aquilis traducti exercitus,
Quò furor martius terris indomitus,
Cùm tortor sæuiet ignis perpetuus?

VIII.

Magna ferè ruinæ proxima esse, æternare humilia.

QVi celsa sequitur, prærupta metuat:
In summo vertice ni modum statuat,
Prolapsu celeri necesse corruat,
Cùm moles imminens incautos obruat.
Lapsus ex humili planoq; tutior,
Cùm è præcipiti ruina grauior.
Ex alto durior, planoq; mitior,
Alto frequentior, planoq; rarior.
Sic summi vertices tanguntur fulmine,
Quamuis prævalido cincti munimine,
Superba pectora calcantur numine,
Quantumuis callido tecta molimine.

Sic

Sic altas arbores venti præcipitant,
Duraq; robora momento excaudicant:
Celsaq; rabiem ventorum prouocant,
Accendunt animos, minasque exasperant.

Virgulta tenera cùm Noti quatiunt,
Aut Aquilonibus lentata proruunt,
Stant fixa sedibus, iras q; combibunt,
Nec sæuiam rabiem, minasq; metuunt.

Sors dura & aspera magnorum æmula.

Magnorum inuida, diraq; facula,
Futuri generis infamis macula,
Cùm regnum sistitur fatorum famula.

Cùm summo vertice momento labimur,
E primo culmine momento pellimur;
E summis opibus momento exscindimur:
E celso munere momento excutimur.

Cùm flore medio fracti depluimur,
Iuuenta media rapti protrudimur,
Mundiq; gaudiis viles proscribimur,
Regnoq; medio sceptrisq; euertimur.

Vt flores pampini, baccæq; excutimur,

Vt

Vt vento folia concussa spargimur,
Vt denso arundines imbre propellimur,
Vt Europa lea subacta rapimur.
Aeternis animos tenentes erigas,
Aeternis noxia cordi submoueas,
Aeternis præmia mundi discutias,
Aeternis pristina moresq; corrigas.
Aeternùm vt Numini coniunctus gaudeas:
Quæ mundus munera promittit fugias.
Aeternùm corpore, menteq; vt valeas,
A carne, honoribus, auroq; caueas.
Aeternùm vt ignibus flammisq; careas,
Densis genitibus peccata deleas:
Aeternùm vt animum pœnis eripias,
Ne carni fragili, mundoq; pareas.

IX. Æter-

IX.

Æternam pro breuibus pœnis remunerationem manere, Virginum docemur exemplo.

DVm sæuit Africus, tunc rosa rutilat,
Et Austro viola perflante purpurat:
Et Eurus lilia prona dissuauiat,
Vis nulla eroborat, nec vlla exanimat.
Dum feruet carnifex, exsurgunt Barbaræ.
Secantur vbera, clarescunt Agathæ.
Dum fumant balnea, surgunt Cæciliæ.
Dum tela depluunt, nascuntur Vrsulæ.
Tauro Phalarico splendet Pelagia.
Flammis, exilio triumphat Flauia:
Vnguis, equuleo, cruce q; Eulalia:
Virgis, pectinibus, flammis Frebonia.
Rotis, sartagine, vinclis Euphemia:
Tedis ardentibus, fuste Serapia:
Felle, craticula, ferisq; Maxima:
Securi & oleo feruenti Eulampia.

Luciæ

Lucia gladiis, & Agnes ignibus:
Christina lacubus, flagris fornacibus:
Susanna variis torta securibus:
Cruce & lampadibus Firmina ardentibus.

Has Christus gloria cælesti munerat,
Has sponsas stabili nexu consociat.
E sexu fragili triumphos numerat.
Cælog; ex humili coronas duplicat.

Profuso sanguine æternùm purpurat.
Pro casto pectore æternùm sociat.
Pro momentaneis æternùm pignorat.
Pro ferro & ignibus æternùm roborat.

Aeternis gaudiis pacaq; inaugurat.
Caloq; lucidas stellas commemorat.
Pro vita labili æternùm animat.
Pro pœnis brevibus æternùm recreat.

Maritat humiles doniis cælestibus.
Maritat tumidos æternis ignibus.
Amicat teneras primis virtutibus.
Lassantur validi magnis sceleribus.

Qui speras maxima cælos inambula.
Vt parua referas, mundum perambula.

Quid

Quid sunt hæc aliud quàm cæli famula,
Vel tamquam vitrea commissa pocula?

X.

Comparatio rerum seculi huius & alterius.

QVid terræ portio puluisq; extolleris?
Non nudus vtero matris effunderis,
Nudus visceribus terræ reconderis,
Et duro iudici damnandus sisteris?
Quid fidis seculo? stat prona æternitas.
Qua spe deluderis? stat firma æternitas.
Quid fugam cogitas? stat certa æternitas.
Quoquò te flexeris, terret æternitas.
Bonis hic fruimur? ibi igne exurimur.
Momento fruimur? æternùm vrimur.
Bonis hic pascimur? ibi ignes patimur.
Momento pascimur; æternùm patimur.
Quis pro his opibus tormenta deligat?
Pro mundi gaudiis diuina negligat?
Pro mundi honoribus cælestes abigat?
Pro tam fugacibus quis flammas eligat?
Sirenum vocibus quis aures præbeat?

Quis ignes cogitans terrena vouеat?
Aeterna prouidens non mente paueat?
Flammasq; contuens non totus horreat?
Felix qui potuit opus contemnere.
Prudens qui gloriam conceſſam ſpernere,
Fortis qui munera mundi reſpuere,
Aeterna præmia doctus eligere.
Mundi qui negligit promiſſa præmia,
Aeterna breuibus mercatur gaudia:
Mundi qui ſequitur promiſſa præmia,
Aeterna breuibus commutat gaudia.
Hæc voluas animo. ſtat certa æternitas:
Flammarum crucians triſtis æternitas:
Calorum recreans felix æternitas.
Momento medium, vtrimq; æternitas.
Honores fugiunt, manet æternitas.
Aurum te deſerit, manet æternitas.
Caro dilabitur, manet æternitas.
Et pro tam vilibus, tam ſæua æternitas:
Pro tam fugacibus, immenſa æternitas:
Pro tam fallacibus, tam vera æternitas:
Pro tam fragilibus, tam dura æternitas.
Et pro tam breuibus, æterna æternitas.
Quis pro tam breuibus æterna deligat?

Quis

Quis ignes, sulphura, flammasq; intelligat?
Quæ sæua æternitas æternùm colligat?
Nullaq; æternitas æternùm mitigat?
O dura animiùm pœnarum æternitas!
O sæua & effera flammarum æternitas!
O cruda animiùm, longaq; æternitas!
Finemq; nesciens æterna æternitas!

FINIS.

Sodalis Jesu Paderb.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN